FASCICULUS PRIMUS

OPUSCULORUM

Quæ ad

HISTORIAM

ac


PHILOLOGIAM SACRAM

Spectant.

IN QUO CONTINENTUR

I. *Edmundi Dickinsoni Delphi Phœnicizantes.*
II. *Ad. Tribbechovii veritas Creationis Mundi.*
III. *M. Gej. Messiæ mors, sepultura ac resurrectio.*
IV. *Æg. Strauch. de* LXX. *Hebdomadum Danielis.*
V. *Henricus Opitius de Crethi & Plethi.*

Omnia doctorum virorum judiciis recensita, & concinnis indicibus aucta.



ROTTERODAMI,
Apud PETRUM VANDER SLAART.
MDCXCIII.

FASCICULUS DISSERTATIONUM HISTORICO-CRITICO-PHILOLOGICARUM.

IN QVO

CONTINENTUR.

I. *Delphi Phœnicizantes Edmundi Dickinsoni.*

II. *Veritas creationis Mundi, prout à Mose descripta est, ostensa in traditionibus gentium ac vetustissimis antiqvitatis profanæ monimentis à D. Adamo Tribbechovio.*

III. *Messiæ mors, sepultura ac resurrectio ex Jesaiæ* LIII. 8. 9. 10. *ad disputandum olim proposita à B. Martino Gejero.*


IV. *Dissertatio Historico-Chronologica de computo sacro* LXX. *Hebdomadum Danielis, B. Ægidii Strauchii.*

V. *Davidis & Salomonis Satellitium, Crethi & Plethi Dn. Henrici Opitii.*

Collectus ac plenissimis indicibus auctus.

à

THOMA CRENIO.



ROTTERODAMI.
Apud PETRUM VANDER SLAART
Bibliopolam ad Insigne Ciceronis.
CIϽ IϽ C LXXXXI.

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI
HENRICO
EPISCOPO LONDINENSI.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE
GULIELMO
M. BRITANIÆ, FRANCIÆ ET
HIBERNIÆ REGI
A SANCTIORIBUS CONSILIIS;
ET CUM IPSO INTER AULICOS HAGÆ
COMMORANTI.
TAM PRÆCLARIS ANIMI DOTIBUS, ET
RELIGIONIS REFORMATÆ DEFENSIONE;
QUAM ANTIQUIS HEROUM
NORTHAMTONIÆ COMITUM
IMAGINIBUS ILLUSTRI.
FELICI POLITIORIS LITERATURÆ
CULTORI, CULTORUMQUE DOMI ET
FORIS PATRONO,
FASCICULUM HUNC DEVOTISSIME,
VOVET, DICAT, DEDICAT
PETRUS VANDER SLAART
Bibliopola Rotterodamensis.
CIƆ IƆ C LXXXXI.

TH. CRENIUS
LECTORI.
S. D.

Qvandoqvidem in omnibus, à primo statim reformationis tempore, in & extra Germaniam Academiis usu receptum est, non solùm capita doctrinæ fidei Christianæ & controversias, verùm etiam ipsa Scripturæ sanctæ loca disputationibus explicare publicis; & verò omninò viri fuerunt, ac dantur etiamnum per Europam eruditissimi, qvi, qvamdiu superstites fuerunt, vix aliô libentiùs, qvàm hôc inclarescere voluerunt scribendi genere: id ex eo tempore, qvô utilitatem istiusmodi dissertationum intellexi, dedi operam, eas ut conqvirerem, & , si non in publicum, saltem in privatum congregarem usum. Docuerunt illum prolixè me in part. III. *Sect.* II. *c.* II. *p.* 176. *s. optimæ methodi studii Theologici Magnus Jo. Gerhardus, & tribus verbis summus Calovius in aureæ Pædiæ Theologicæ articulo posteriore c.* II. §. VIII. *p.* 160. & 191. *Verba in ipsis auctorum videantur libris, qvippe qvi Theologiæ studiosis debent esse vel familiarissimi. Nunc juvat adponere eruditissimi qvondam Orientalium*

talium Lingvarum cultoris Jo. Henr. Höttingeri hoc de argumento sententiam, qvam in pag. 5. cap. 1. Bibliothecarii nobis ita aperit: Disputationibus, *sive*, exercitiis Academiarum & scholarum publicis, meô judiciô, multùm est deferendum, sive qvòd publicam publicis disqvisitionibus conciliatam habeant auctoritatem; sive qvòd multi, iiqve doctissimi viri nullô aliô scribendi genere voluerint inclarescere; sive qvòd ibi *συμφερτὴ ἀρετὴ*, & fusi aliorum conceptus compendiosè proponantur; sive deniqve, qvòd jucundâ varietate non parùm oblectent. Omnino ergò ad supellectilem pertinent librariam: neqve enim qvàm multa, sed qvàm bona dixerit Author, scire refert. Nihil proinde omittes eorum, qvæ qvidem Bibliotheca tua possidet. Qvantitatis hîc nulla efficacia. Una sæpe pagella plus succi & bonæ frugis habet, qvàm spissum chartarum volumen. Magnô hæc reipubl. literariæ dispendiô negligi, monet etiam prolixè Naudæus libr. de instituenda Bibliotheca p. 76. & 99. Theticæ *ait*, *c.* VI. *Bibliothec. Univers.* §. IV. *p.* 95. *idem Höttingerus*, Theologiæ, sive Locorum communium *θετικῶς* in scholis & Academiis propositorum fui studiosissimus. Abeo hîc fortè ab omnibus aliis longissimè. Plerisqve pagellæ istæ sordent, qvasi indignæ, qvæ vel numerum in Bibliotheca faciant, vel lacunam impleant. Mihi planè aliud

fuit hactenus institutum, cujus necdum me pœnitet. Non unam tantùm Disputationum per universam Europam habitarum possideo chiliadem, xxxiv. & amplius tomis comprehensam, iis ferè exceptis, qvi integra systemata θετικῶς, conscripserunt, ut sunt *Leidenses*, *Spanhemius*, *Maresius*, *Zvingerus &c.* Rationes breviter supra jam indicavi. Et thesaurum eô majori habeo locô, qvô semel amissus potest incommodiùs reparari. Qvàm enim difficulter, e. g. Disputatio Tiguri in Papatu ipso, *de Prædestinatione*, habita, vel qvôlibet redimi posset pretiô? Eadem ratio est aliarum. Qvidqvid aliis videatur, ego Bibliothecæ insigne κειμήλιον esse existimo, Collegium disputationum inde à Reformatione ad nostra usqve tempora deductum. *Dolendum sanè est tantum naufragiô periisse thesaurum. Nos ex qualicumqve adparatu nostro qvinqve in præsens excudendas typographo dedimus dissertationes, qvarum prior, qvamvis Academica propriè sic dicta dissertatio non sit, ita tamen se se eruditis probavit, ut Germani, à maturè vendito exemplo Anglicano Oxoniensi ann.* CIↃ IↃC LV. *illos ipsos Edmundi Dickinsonii Medici insignis Delphos Phœnicizantes Francofurti* CIↃ IↃC LXIX. *denuo imprimi curârint. Qvæ qvoniam nostris in Federati Belgii provinciis paucis comparuit editio, nonnullum operæ pretium me facturum existimavi, si illam, additô*

aliqvô

aliqvô auctariô curarem iterum. Et qvoniam hujus ab argumento non multum abludit Dissertatio Dn. D. Adami Tribbechovii, variis eruditis ingenii monumentis novissimâqve Operum S. Hieronymi Francofurti ad Manum & Lipsiæ anno CIↃ IↃC LXXXIV. *impressâ editione accuratissimâ celebris, qvâ veritas creationis mundi, prout à Mose descripta est, ostenditur in traditionibus gentium ac vetustissimis antiqvitatis profanæ monimentis ad convincendos Atheos, addere eam volui, frustra illius ipsius auctoris Historiam Adami adhuc in officinis librariis qværens; qvam qvi habent, mecum ut ad edendum communicent, veluti & alia hunc ad scopum facientia scripta; rogo atqve oro; continuare enim istiusmodi Disputationum Criticarum Philologicarum, Historicarum ac Exegeticarum in & extra Germaniam habitarum fasciculos inposterum, sedet animo. Adhæc sisto tuo conspectui B. Martini Gejeri*, viri, *Matth. Poli Londinensis in initio Volum.* II. *Synops. Critic. judiciô*, eruditi, qvi & proprietates verborum & sensum rerum diligenti sæpe indagine eruit, *Disputationem jam dudum secundò recusam, de Messiæ morte, sepultura ac resurrectione, ex Esa.* LIII. 8. 9. 10. *pro conseqvenda supremum in Theologia adeundi gradum licentia habitam, qvam, ut omnia doctissimi hujus viri scripta, Candidum Lectorem avidè accepturum esse, confido penitus. Sed qvia elegantis-*

ſimis ſuis Witteberga olim ac Gedani habitis Diſputationibus rarâ doctrinâ refertis b. r. Ægidius Strauchius Theologus, Philologus, Hiſtoricus & Mathematicus omni noſtrâ laude major, & ad invidiam doctus, omnes ferè ſic lectores cepit, ipſosqve ſuos in doctrina adverſarios, ut dictis illis intra paucorum annorum ſpatium vel qvartùm editis diſſertationibus miro legentium deſiderio non potuerit facere ſatis: non ab re futurum exiſtimavi, ſi unam ejus aliqvam diſſertationem Hiſtorico-Chronologicam de computo ſacro LXX. *Hebdomadum Danielis, ſpeciminis locô, hîc adjungerem, reliqvas illius, ſi gratas tibi eſſe intellexero, ſeqventibus à nobis propediem edendis faſciculis exhibiturus. Tandem eruditam eruditiſſimi Dn. Henrici Opitii addo diſſertationem ſemel atqve iterum Jenæ impreſſam de Davidis & Salomonis Satellitio Crethi & Plethi. Qvibus omnibus neceſſarios ſubjicio vocum, rerum & dictorum biblicorum indices, qva circa dicta, te hîc admonitum velim, ſtudioſe Lector, nunqvam tibi indicari in indice inutiliter locum aliqvem, qvamvis in tractatibus ſolùm adductos, minimè verò explicatos plurimos videas, cùm enim παράλληλοι ſæpe ſint, ex explicatione unius, alterius elucеſcit ſenſus. Habes de hac re animus meus ut ſit, Lector Candide, noſtraqve pietati egregiorum virorum lucubrationes in ædificationem Eccleſiæ ab interitu vindicanti fave.*

DELPHI

DELPHI PHOENICIZANTES,

SIVE,

TRACTATUS,

IN

Qvo Græcos, qvicqvid apud Delphos celebre erat (seu Pythonis & Apollinis historiam, seu Pœanica certamina, & præmia, seu priscam Templi formam atqve inscriptionem, seu Tripodem, Oraculum, &c. spectes) è *Josuæ* historia, scriptisqve sacris effinxisse rationibus haud inconcinnis ostenditur. Et qvamplurima qvæ philologiæ studiosis apprimè jucunda futura sunt, aliter ac vulgò solent, enarrantur.

Appenditur

DIATRIBA

De Noæ in Italiam adventu, ejusqve nominibus Ethnicis:

Nec non

DE ORIGINE DRUIDUM.

His accessit Oratiuncula pro Philosophia liberanda.

Auctore EDMUNDO DICKINSONO, Art. Magist. & Mertonensis Collegii Socio.




ORNATISSIMO VIRO

DNO JONATHANI GODDARD

Medicinæ, in celeberrimo Medicorum Londinensium collegio, Doctori; & Collegii Mertonensis (qvod est *Oxonii*) dignissimo Custodi,

εὐπραγίαν καὶ



*

Cùm nasci sit ærumnis exponi, Antiqvitas *Genios* qvosdam, qvi natis jam inde hominibus essent à præsidiis, induxit. Non autem minora libros qvàm liberos expectant infortunia, dum in lucem prodeunt: ideòqve

* *i.e. ὑγιείαν* v. Lucian. ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορ. πταισμ. *construi videtur ex hisce literis (υ. γ. ε. ι. α.) affabrè junctis.*

Victu-

Victurus genium debet habere liber. Qvi verò nascitur in *Mertonensium* collegio, qvem Patronum, qvodve tutelare numen ambitiosiùs exoptet, qvàm ipsius loci *Genium:* Te dico, *Cla: Goddarde*, vigilantissimum Musarum, qvotqvot ibidem vigent (vigent autem non paucæ) *Custodem:* atqve omnium, qvæ florent alibi, *cultorem:* Cujus nescio an magis laudandus sit erga peritos omnes amor, an admiranda peritia: Qvæ tanta est, ut non plures ardenter affectes, qvàm probè calles, scientias. Nec aliqvod literaturæ genus in clientelam suscipias, in qva tuas etiam partes agere, & tibiipsi favere non videaris. Nec me putes hæc auribus tuis dare: nihil soleo minus. At intueor excelsas animi tui dotes, qvæ hæc à summo viro (hujus Academiæ ingenti ornamento *) præconia tulerunt & merebantur. *Tu in omni literarum genere excellens. In physica* (rerumve naturalium cogni-

* *Cl.* Satho Wardo. *in Ep. nuncup. Dissert. in Ism. Bullial. Astron. Philo.* Fundamenta.

tione)

tione) *profundissimè versatus: In rebus Chymicis (collegii Medicorum Londinensium judiciô) peritissimus. In lingvis eruditis omnibus accuratè doctus. Qvinetiam in Medicina practica præclarus atqve felicissimus. In rebus civilibus summâ prudentiæ atqve integritatis gloriâ clarissimus. Etiam Mathematicis teipsum maxima cum laude exercuisti. Diu est, ex qvo Telescopia præstantissima primus (qvantum ego scio) Anglorum ipse fecisti. [nempè tu laminas, globulos, instrumenta omnia sumptu tuô parâsti; tu operarios conduxisti: tu opus universum consiliô, ingeniô, Mathematicarum artium scientiâ juvisti atqve gubernâsti.] Neqve rerum jucundissimarum praxi contentus, ea qvæ à communi hominum sensu remotiora sunt (Geometrica atqve Astronomica) speculatus es.*

Hæc ea, qvæ te omnium in ore sermonibusqve volitantem, in editissimo loco tanqvam in theatro famæ reponant. Nolo eqvidem laudibus tuis (scio enim

qvan-

qvantoperè vexent tuam modestiam) diutius immorari. Nec egregias illas (qvæ gubernatorem non decent tantùm, sed & insigniter ornant) virtutes (per qvas in animos omnium Mertonensium penitùs influxisti) percensere. Liceat tamen unò verbô fateri tales esse, qvæ nostra obseqvia, (libera tamen & ingenua) non demerentur tantùm, sed imperant: & qvamvis sint maxima, vincunt. Qvid æqvius igitur, qvid religiosius, qvàm ut tibi, optimo Musarum nostrarum Præsidi, ac benignissimo Apollini, meas hasce, veluti comæ, *primitias* offerrem? Satin' verò sanus es, inqviet aliqvis, qvi tam misella νοήματα tanti viro ingenii nuncupas? &, cujus judicium formidare debueras, ultrò invitas? Muscæ qvidem (ut ferunt) ἀπομυίȣ *Herculis* ædem non ausæ sunt ingredi. Nec limatissimi judicii censuram minutiæ subeant. Te ergò (*dignissime custos*) leves hæ atqve *exiles* (ut cum Poëta loqvar) *ineptiarum tineæ*, perindè ac *culices* olim κωνωπεῖν *Jovem*,

vem, metuerant, te vitârant; ni satis perspectus esset singularis ille candor, qvô literarios conatus, ut ut imbecilles, excipis; & tuâ saltem veniá dignaris: Nec aliqvid majus sibi spondeant, aut sperent hujusmodi lucubrationes; qvas qvi doctissimè persolvit, haud aliud industriæ suæ præconium ferat, qvàm, qvod de *Antisthene* olim dictum, *est ingeniosus nugator*. Verùm ne credas, obsecro, me leviculis hisce studiis, qvicqvid mihi temporis erat insumpsisse, & meipsum *araneæ adinstar*, in *irretiendis* hujusmodi *muscis* eviscerâsse: Illis, haud infiteor, aliqvam navavi operam sed subsecivam: tricis & apinis, maximè literariis, opportunam; imò debitam: Postqvàm etenim gravioribus philosophiæ atqve medicinæ studiis, qvibus emancipatus sum, diem penè exantlaveram; qvod reliqvum erat, bonis & ingenuis avocamentis (qvibus ita pasci soleo, ut mens mea juxtà philosophari se, imbuiqve seriis haud sentiret) indulsi: qvantum verò noctis

à so-

à somno furari poteram, *Philologiæ* deliciis ac amœnitatibus vovi dediqve hæc igitur, qvæ vides, ἀθύρματα, non sunt ἔργα καὶ ἡμέραι *opera & dies*; sed *nocturni lusus*, obiter elucubrati: Qvi si non Athenarum *Minervam*, spero tamen *Noctuam* sapiant: & qvanqvam non ipsam *lucernam*, (qd. operis accurati doctiqve laus est,) ejus utcunqve *fuligines* oleant. Vale, Dignissime Custos: Spartam, qvam nactus es, ornare; & bonas literas, ut soles, amare pergas. Haud aliter te colet, qvi jam te colit eximiè.

Calend. Junii
1655.

EDMUNDUS DICKINSON.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Qvantâ hominum freqventiâ, qvâ religione, qvot sacrificiis, qvàm diversò corporis juxta ac ingenii certamine crevit olim Pythiorum gloria, nemo, opinor, qvi vel summis, ut ajunt, labiis gustavit humaniores literas, ignorat; Qvæ verò tantæ celebritatis ἀφορμὴ atqve occasio fuit, & qvos ortus habuit, viros ipsos Apollinares adhuc latet. In causa forsan non tam spinæ argumenti, qvàm minutiæ: Muscas aqvilina ingenia non capiunt, nisi qvòd ex musca (sicut est in proverbio) elephantem dicendi, qvâ pollent, arte faciant; & in re pusilla atqve levicula ornatè tractandâ grande aliqvod indolis suæ specimen qvasi ludentes exhibeant: alioqvi certè doctioribus & literatiùs otiosis non vacat tricas sectari; nec benè feriatos deceat stultus ineptiarum labor: Pythica verò διατριβαὶ nihil aliud sunt, qvàm difficiles nugæ; anxiæqve affaniæ: Græci enim qvotqvot vel ex industria de rebus hisce, vel obiter scripserunt, tam fatuas inqvirenti prætulerunt faces, ut vel suspensum animo teneant; vel in devia, qvod pejus est, seducant. ex historiæ fide qvid amplectaris? qvid enarres? Qvô teneas vultum mutantem Protea nodô? Sunt, qvi Tyrannum, qvi latronem, qvi serpentem, deniqve qvi gigantem ab Apol-

** line

line victum casumque ludis hisce instituendis ansam dedisse tradunt. usque adeò sibi inconstans, & quasi versipellis est historia: nec de loco victoriæ melius secum convenit: Pythonem namque modò in Mysia, mox in Phrygia, modò in Cilicia, mox in Pithecusa, modò in Bœotia, mox autem in Syria (a) *confectum memorat. non tamen mirum, quòd de illis res adeò luculenta non fuerit; cùm vel ipse Apollo,* pater, *ut fingunt,* diei & lucis (b) *accensâ quasi lucernâ quærendus sit: de illo enim ambigitur & addubitatur: quem alii* Jovis *alii* Bacchi *filium prædicant; hi* Deum *mythicè fingunt, illi* Solem *physiologicè interpretantur; alii verò* ducem militarem *fuisse historicè narrant. adeo ut Pythius ille Apollo de seipso consulendus sit. Quæcunque nimirum de illo adhuc dicta & jactata sunt, pront æquali penè ratione niti videntur æquè in disceptationem veniunt: exercendo igitur ingenio campum præbent; viamque ad novam, vel, si placet vetustiorem verioremque tantæ solennitatis originem pervestigandam muniunt ac sternunt. Incassum verò Græciæ rudera veritatis inveniendæ gratiâ versamus, gemmas in tanta sterquilinii mole frustrà quærimus, si non indagini nostræ bidentes, rutra, mergas palasque Phœnicias adhibeamus: Hebraicas nempe (per Phœnicias enim intelligo Hebraicas) literas.*

(a) *Vide Eustath. in Il. Hom. p. 262. edit. Basil.*
(b) Ἀμέρα πρὸς ἀλίω *Pind. Olym. od. 11.*

Phœni-

*Phœniciæ enimvero originis esse græcorum nationem, lingvam, ritus plerosqve & cæremonias: tantam verò illa omnia mutationem, jacturam ruinamqve sustinuisse, ut Græcia jam nunc in ipsa Græcia reqviratur. Prorsus igitur ultrà Græcas literas ei progrediendum est, qvi priscam Græciæ Theologiam, sapientiam, disciplinam, historiam nec non & venustatem perlustrare vellet: non secùs ac qvi urbis prospectum capiunt, eam ut describant, egredi solent; aut in sublimi qvadam specula consistere; ita ut vel prope absint ab ipsa urbe, vel altiores emineant. Qvocircà, ut Poëtæ * verbis de Novio abutar.*

Migrandum est mihi longiùs, vel ille
Vicinus *(Græciæ)* vel inqvilinus
Sit; si qvis *(Græciam)* videre non vult:

Græci profectò, levis, inconstans, mendax, superstititiosa gens semper habiti; qvi πατροπαράδοτον veritatem novis subinde figmentis ita immutârunt & penè obliterârunt, ut (qvod illis in opprobrium vertit Saiticus ille Sacerdos Patenit (a) *μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδὲν* nullam disciplinam vetustate canam *habere videantur. Sin verò larvas, qvas veritati (ne ἀμυήτοις innotesceret) invidia prætendit, detrahamus; &, qvas error accumulavit, fabulas amoliamur, Græcis utiqve non defuisse ἀρχαίαν ἀκοὴν, παλαιὰν δόξαν, doctrinamqve ab antiqvissimis veritatis & sa-*

* *Martial. Epig.* LXXXVII. *L.* I.
(a) *De qvo vidē Proclum post Platonem in Timæo.*

pientia promis condis acceptam, pro comperto erit: adeò ut senes videri potuissent Græci, nisi delirâssent. Omnia sanè Græcorum monumenta (perindè ac Alcibiadis Sileni *fuerunt) foris inepta sunt, ridicula, & planè novitia; intus autem, si modò clave Phœniciâ reserantur, summæ antiqvitatis imagines actutùm videas. Immò sanè qvisqvis eorum mythologiam paulo sagaciori nare percurrit, multa veræ etiam religionis, ut ut sublesta, vestigia non difficulter indaget ac odoretur. Cætera autem missa facio; (neqve enim mihi animus est, nec otium, nec facultas omnia qvæ literas sacras redolent hìc enodare,) qvin, ut præsentis instituti ratio postulat; omnia fermè, qvæ de Apolline & Pythone passim narrata sunt, Josuam Israëlitarum ducem atqve Ogum Bâschanis regem præcipuè spectâsse; & qvicqvid apud Delphos (sive Pæanica certamina, sive ipsum Templum, Oraculum, Tripodem, sive reliqva spectes) celeberrimè semper audiebat, ab Hebræis olim desumptum fuisse simpliciter atqve apertè monstrabo. Sed qvod Apollo idem sit qvi Josua, Ogusqve à Pythone non diversus, dictu fortè non magis mirùm, qvàm vanum atqve ineptum videri possit: cùm tam dissimilia ferantur de illis, ut potiùs δὶς διὰ πασῶν discrepantes censendi fuerint. Hujusmodi multa, non dubito, qvin sibi fingant in animis, qvi res ut solent, omnes leviter & perfunctoriè considerant. Si tamen intimiùs & pensiculatiùs expendantur, qvàm benè qvadrant omnia, liqvidò constabit.*



DELPHI PHOENICISSANTES.

CAP. I.

Pytho idem qvi Typho *per anagramma: Græcos ab Hebræis anagrammatiſmi rationem & uſum accepiſſe conjicitur:* Lycophron *hebraice calluit, & inde anagrammatiſmos ſuos didicit:* ipſe *ob anagrammatiſmos celebris. ejus anagrammatum ſpecimen.* verſus ἰσόψηφοι, & nomina ἰσόψηφα *quid?* Typhonem *ab Apolline victum Sol* ἔπυσε. i.e. *putrefecit; inde* Πυθὼ *dictus, & Apollo* Πύθιος *ex Homero.*

Res Delphicas aggredienti mihi, perinde ac Apollini olim, ſtatim fit obviam *Pytho* ſerpens, ante omnia calamô noſtrô, veluti ſagittâ conficiendus. de *illo* nimirum, utpote

 cauſa

causa *Pythicæ* solennitatis, ubiqve ferè loqvuntur Græci; de *Typhone* non item. *Typhonis* autem nomine, seu tibicine qvodam nititur hæc commentatio. Qvocirca ne prius arcem moliar, qvam fundamenta jecerim; & (qvod de rebus inanibus ac imaginatione duntaxat positis disserenti convenit) ἀερολέσχης existimer; necessum habeo cum primis ostendere *Pythonem* atqve *Typhonem* planè unum eundemqve fuisse. Primò igitur, ut opinor, haud ineptus sum futurus, si eos, qvos literarum metathesis duos fecit, *anagrammatismi* artificiô rursus unirem: Græci etenim ab Hebræis (a) ut literas & nomina, ita etiam *anagrammatismi* ratio-

(a) *Anagrammatismos ab* Hebræis *olim promanasse vel illud argumentum est, qvòd Hebræi non modò nomina magnâ veneratione proseqvi, sed & eorum literas numerare, pensitare, nec non & magni facere solebant. ad hæc traditum est (teste* Blanco Albiensi, *qvi se alicubi legisse asserit) Lycophrona literas Hebraicas percalluisse, & inde anagrammata conficiendi modum didicisse. nec aliunde forsan derivandum sit insigne illud versus ἰσοψήφους (quorum meminit* A. Gellius *noct. Attic. l. 14. c. 6.) componendi, atqve nomina ἰσόψηφα pervestigandi studium. ea autem nomina sunt ἰσόψηφα, qvorum literæ, si, prout numeri aliqvid potent accipiantur, eundem constituunt numerum: atqve adeo ejusdem potestatis esse judicantur. unde in Epigrammatis Græcis* Damagoræ *cujusdam nomen ἰσόψηφον esse cum nomine*

λοιμὸς

rationes acceperunt & acceptas in usum revocabant; (*b*) eô nimirum consiliô, ut intrinsecam nescio qvam ἐπισημασίαν suis nominibus inde conciliarent; aut ut vela qvædam prætendentes, illa prorsus à vulgi obtutibus (ne τὸ ἔσω νοούμενον profani videant) abriperent. hinc igitur forsan τ & π (in litera φ enim latet ϖ) transposi-

λοιμὸς salsè à Poëtâ & acutè ostenditur, id qvod ex hac descriptione liqvet.

Λ.	4.	Λ.	30.
Α.	1.	Ο.	70.
Μ.	40.	Ι.	10.
Α.	1.	Μ.	40.
Γ.	3.	Ο.	70.
Ο.	70.	Σ.	200.
Ρ.	100.		
Α.	1.		
Σ.	200.		
420.		420.	

(*b*) Anagrammata *profectò Græcis usitata & magni habita vel hoc (ut alia omittam) satis probat, qvod* Lycophron (*referente* Isaciô Tzetze, *in proleg. ad Lycophron. Alexandram*) *εὐδοκίμει τότε οὐ τοσοῦτον διὰ τὴν ποίησιν, ὅσον διὰ τὸ λέγειν, ἀναγραμματισμούς. tunc (i. e. tempore Ptolemæi Philadelphi) non tam ob poësin, qvàm ob Anagrammatismos suos benè audiebat. Qvorum exempla sunt.*

Πτολεμαῖος	Ἀρσινόη.
ἀπὸ μέλιτος.	Ἴον Ἥρας.

(c) *Vid.* פתן *in c.2.* positis, Τυφῶν evasit Πυθών. (c) Τυφὼν certè & Πυθὼν literas potestate saltem (qvod anagrammatismo satis est) easdem habent. Sed ne grammaticis hisce minutiis solummodò fulciri videar, en (d) *Homer. Hym. in Apollinem.* antiqvissimi Poëtæ (d) fidem! qvi, licet aliam τοῦ Πυθὼν originem reddat, disertè tamen canit *Typhonem* ab Apolline victum fuisse ac trucidatum; qvem qvia radiis suis ad Apollinis vota, Sol ἔπυσε. i.e. putrefecit; ex eo, inqvit, Τυφάων sive Τυφὼ dictus est Πυθὼ; & *Apollo*, Πύθιος; ut in his videre est.

—— ὁ δ᾽ ἐπηύξατο Φοῖβος Ἀπόλλων
Ἐνταυθοῖ νῦν πύθευ ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ
Οὐδὲ σύγε ζωοῖσι κακὸν δήλημα βροτοῖσι
Ἔσσεαι, οἳ γαίης πολυφόρβου καρπὸν ἔδοντες
Ἐνθάδ᾽ ἀγινήσουσι τεληέσσας ἑκατόμβας·
Οὐδὲ τί τοι θάνατόνγε δυσηλεγέ᾽ οὔτε Τυφωεύς.
Ἀρκέσει, οὐδὲ χίμαιρα δυσώνυμος, ἀλλὰ σέ
  γ᾽ αὐτοῦ
Πύσει γαῖα μέλαινα καὶ ἠλέκτωρ ὑπερίων:
Ὣς φάτ᾽ ἐπευχόμενος; τὴν δὲ σκότος ὄσσε
  κάλυψε
Τὴν δ᾽ αὐτοῦ κατέπυσ᾽ ἱμερὸν μένος ἠελίοιο
Ἐξ οὗ νῦν Πυθὼ κικλήσκεται. οἱ δὲ ἄνακτα
Πύθιον καλέουσιν ἐπώνυμον οὕνεκα κεῖθι
Αὐτοῦ πύσε πέλωρ μένος ὀξέος ἠελίοιο.

--- *sic*

—— ſic precatus eſt Phœbus Apollo
Hic nunc putreſce ſuper terram viros paſcentem.
Neqve tu utiqve vivis malum damnum mortalibus
Eris; qvi terræ multos—nutrientis fructum comedentes
Hic ſacrificabunt perfectas hecatombas.
Neqve tibi mortem triſtem Typhœus
Arcebit, neqve Chimæra difficilis nominis, ſed te utiqve hic
Putredine afficiet terra nigra, & excitator Hyperion.
Sic dixit precando: hujus autem oculos tenebræ obtexerunt.
Hunc autem hic putrefecit optabilis vis Solis,
Ex qvo nunc Pytho vocatur; hi autem Regem
Pythium vocant cognomine; qvoniam illic
Putrefecit monſtrum vis acuti ſolis.

OGUS & TYPHO idem.

CAP. II.

Ogus & Typho idem: Τυφῶν & עוג Og, *urens, ustulatus:* Inferi *ab* Hebræis *vocantur* קהל רפאים i.e. *cœtus Gigantum cur?* Typho θεομάχος *unde?* idem *in Tartara detrusus, & in lacu* Serbonidis *aut* Oronte *fluvio submersus cur fingatur; & cur Serpens dictus sit.* פתן Pethen, *hebraicè* aspis *vel* serpens; *inde* Πυθὼν: divinatio *per serpentes familiaris* Hebræis, Arabibus, Phœnicibus *&* Græcis; *inde* σιωνίζη, μαντεύη *apud* Hesychium: Pytho *Apollini Delphos proficiscenti obstetisse fingitur: fabulæ istius origo Hebraica:* Typho Βέβων *&* Σμὺ *dictus:* Typhonis *cubile in* Arimis: Ἄριμα *non in* Pithecusis *insulis &c. sed in* Syria; *quæ* ארם *Aram* ab Aramo; & شام à Semo *Arami* patre *nuncupatur.* Orontes *à Typhone ibidem fulminato* Τυφῶν *dicitur.* ὕδης *apud* Homerum *sphalma graphicum pro* ἰούδης *vel* ἰόδης; *restituitur:* Græcorum *alphabetum antiquitùs* υ *carebat:* Attici ο *pro* ου *usi*

usi sunt etiam post Homeri tempora: per ὕδης *vel (qvod rectiùs)* ἰόδης πίονα δῆμον *in* Homero *notantur* Baschabitæ. Gigantes, *qvi contra Deos ex* Ægypto *provenientes pugnabant, fuerunt* Amorrhæi: *qvomodo* Israëlitæ *à Græcis* Dii *nuncupari cœperunt, explicatur: ad* Ogi spondam (*de qva memoratur in S S S.*) *alludunt Typhonis* εὐναί. *i. e.* cubilia, *qvæ celebrat Homerus:* Ἐν Ἀρίμοις *insciè vertuntur* Inarime *per Virgilium. Typhonis* historia *post aliqvot ætates in* fabulam *cessit*; & interpretationem *subiit*; *modò* ethicam, *modò* physiologicam. Omnis *mons ignem evomens à* Typhone *comburi creditur*: qvicqvid *noxium fuerit*, *Ægyptii* Typhonis nomine *significabant*.

Videor eqvidem mihi videre qvamplurimos, qvi dum *Typhonem* referri ad *Ogum* sentiant, eludent illicò, risuqve emorientur; ut qvi Pythagoram citiùs in gallum aut ranam olim mutatum, qvàm Ogum in Pythonem serpentem, mythicâ licet metamorphosi conversum, credant. Rideant tamen; lepidè agant, suspensôqve subsannent nasô: mihi certè

dum levibus verſor in argumentis, abundè erit ſatis ſi non ſine ratione aliqva inſanire videar. Sive autem Typhonis *nomen* ſpectes, ſive *hiſtoriam* vix ovum ovo ſimilius invenias, qvàm Typhoni Ogum: qvod ad nomen attinet τύφειν eſt καίειν i. e. urere, teſtibus Heſychiô & Euſtathiô: Τυφῶν igitur *urens*: qvid autem עוג Og? certè *uſtulatus*, *urens*; ab עוג *aduſſit*, *uſtulavit:* adeo ut qvæ de Pythone paſſim, de Ogo ſimiliter, ne mutatô qvidem nomine, narretur fabula. Non opus eſt ut moneam te, candidiſſime lector, Ogum fuiſſe Gigantem, & contrà Jehovam, multis retrò hinc ſeculis inſtruxiſſe aciem; ne lippis hoc aut tonſoribus, immò nec leviter tinctis ſemipaganis ignotum: advertas attamen Hebræos olim damnatorum ſedem vocaſſe קהל רפאים i. e. *cœtus Gigantum!* Proverb. 21. 16. aſtipulatur Arabs qvi hìc habet مجمع الجبابرة *ſynagoga Gigantum*; eorum nempe domicilium de qvibus legitur (*Gen.* 6. 4.) *Potentiſſimi illi qvi fuerunt jam olim viri celeberrimi*; impii ſanè defectores * Deum protervè atqve audacter oppugnantes; in tantùm ut *pœnituit Jehovam, qvod feciſſet hominem in terra, & doluit apud animum*

* נפלים.

mum suum. Horum, inqvam, scelere atqve impietate factum erat, ut locus cruciandis in æternum reprobis destinatus, *Rephaim*, id est, Gigantum *cœtus* appellaretur. Hinc igitur Græci per omnia fermè *Hebraizantes*, vel (qvod ipsi malint, tum qvia universam Palæstinam, Phœniciam; & Palæstinos, Phœnices vocabant; tum qvòd à Phœnicibus, qvicqvid ipsis doctrinæ vel literarum fuit, acceperant) *Phœnicissantes*, Typhonem non modò θεομάχον gigantem ferunt, sed &—*tenebrosa in Tartara mittunt*, ut sempiternis ibi flammis ardeat: (*a*) Qvin & mihi penitissimè persuasum est, fabulam istam de Typhone in lacu Serbonidis, aut (ut alii volunt) in Oronte fluvio pridem submerso, non aliunde confictam fuisse, qvàm ex illo loco Jobi (*cap.* 26. 5.) *Gigantes gemunt sub aqvis.*

Adhæc qvia S. S. Scripturæ freqventer assolent impios & populi Dei hostes (qvales erant Ogus, & reliqvi Cananæi) draconum serpentumqve nominibus infamare; proinde etiam Typhonem modò serpentem, modò draconem vocarunt. *Strab. geograph. l.* 16. Qvoniam verò Serpens vel aspis hebraicè פתן *Pethen* dicitur,

(*a*) *Pindar. Pyth. od.* 1. ὤστ' ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ κεῖται θεῶν πολέμιος Τυφώς. *Et Ovid. Met. l.* 5.—*flammamque ferò vomit ore Typhœus. Et Sil. Ital. l.* 14. *tum Catane ardenti nimiùm vicina Typhœo.*

citur, hinc Τυφῶν, vocabulô ad Hebraicam vocem fictô, posteà Πυθῶν (qvæ nominis origo omnium maximè verisimilis est) appellari cœpit, hoc autem nomen eò faciliùs ab omnibus receptum fuit, qvòd ad Oracula magis aptum atqve accommodatum videbatur.

Constat enim Hebræos (apud qvos נחש *Nichash* vel *Nachash* tum *serpentem*, tum *divinationem* significat) ex serpentibus olim divinationes ac auguria instituisse.

Qvod & Arabes (qvibus الإلاهة *ilahat* ut *cultum* ac *adorationem*, ita etiam *Serpentem* notat) itidem fecisse consentaneum est: at præ cæteris Phœnices serpentum cultui multum tribuebant; ut testatur Eusebius in *lib.* 1. *de præp. Evang.* Tandem aliqvandò Græcis etiam, qvi à Phœnicibus instituti fuerunt, tanta serpentum fuit æstimatio, & in augurio tam freqvens usus, ut à Serpente verba, qvibus exprimi vulgò solet augurium, mutuati fuerint: οἰωνὸς enim Serpens est; & οἰωνίζη, μαντεύη. Hesychius.

Sed prorsus, ut luculentum fiat qvàm propè fabula Typhonis absit ab Ogi historia, ita mihi procedendum censeo:

Amor-

Amorrhæi qvondam Josuæ atqve Israëlitis per gentem suam transituris ad Schiluntem (ubi Dei Arcam, divinumqve Oraculum fixuri erant) viâ interdicebant: celeberrimus autem rex Amorrhitarum fuit Ogus; adeoqve pro more qvicqvid ab aliis insigniter gestum sit, in eum Poëtæ deferunt: narrant itaqve Pythonem obstetisse Apollini qvò minùs ad Delphos (*b*) accederet, Oraculiqve præfecturam nancisci posset. Qvantoperè verò *Schiluntis* ad exemplum compositi fictiqve fuerunt *Delphi*, ea, qvæ posthac dicentur, affatim probant. Sed autem belli Amorrhitani, ad inhibendum Josuæ transitum gesti, historiam, illi ob oculos habuisse videntur, à qvibus Typho primùm Βέϐων & Σμὺ dictus fuit: ista enim nomina, *teste Plutarchô in Isid. & Osyrid.* præ se ferunt κατέξιν ἢ κώλυσιν. i. e. *Detentionem vel inhibitionem.*

Porrò si qværas à Poëtis, ubinam gentium Dii olim contra Gigantes bellum gesserint? & qvâ regione Typhonem de medio sustulerint? ea statim percontanti subjicient, qvæ ipsum Ogi regnum, ni fallor, innuunt indicantqve: ut omittam ceteros audite Homerum in *Iliad.* 2.

(*b*) *Ita enim* Callimachus *de Apolline canit.* Πυθῶ τοὶ κατιόντι συνήντετο δαιμόνιος θὴρ αἰνὸς ὄφις *&c.* *vid. sis Scholiasten Aristophanis in* εἰρήν. *pag.* 654.

Γαῖα

Γαῖα δ' ὑπεστενάχιζε Διὶ ὡς τερπικεραύνῳ
Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ
Ἐν Ἀρίμοις; ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι
εὐνάς.

Terra verò subtùs gemiscebat Jove quasi fulminibus—gaudente
Irato, qvando circa Typhoëa terram verberat

In Arimis, *ubi dicunt Typhoëi esse* cubilia. Ἄριμα certè nonnulli circa Tmolum; multi juxtà Corycium antrum, in Pythecusis insulis (qvia πίθηκοι lingvâ Tuscâ ἄριμοι vocantur) haud pauci locant; in aliis locis alii; (c) Sed illi, meâ qvidem sententiâ, omnium rectissimè, qvi Arimos in Syria statuunt: τοὺς Σύρους (inqvit Strabo *d)* Ἀρίμους δέχονται, οὓς νῦν Ἀραμους λέγουσιν *Arimorum nomine* Syros *intelligunt, qvos nunc* Aramos *vocant.* οἱ Ἕλληνες Ἀραμαίους ἐκάλουν ἢ Ἀρίμους. *Syros Græci vocabant Aramæos aut Arimos.* Erat enim *Aram*, Semi filius, *pater Syrorum.* Unde *Syria* qvoqve dicitur ארם *Aram.* Qvæ tamen ab Arabibus vocatur شام à Semo: nisi forsan ita dicatur, qvòd sit ad sinistram Arabibus; qvippe شام vel شامة *Shâm* vel *Shâmat* (qvæ Syriam notant) *partem sinistram* significant.

(c) *Eusłath. in Iliad. p.* 262. *lin.* 25. *edit. Basil.*
(*d*) *l.* 13. & *l.* 16. *vid. Eusłath. in Iliad. locô jam citatô.*

cant. Typhonem prorsùs in Syria peremptum fuisse probat nomen Orontis fluvii; qvi non solùm *Ophites*, sed & (qvasi præ se ferens ejus *Epitaphium*) τυφῶν appellari solet: (e) μυθεύεσι ἢ ἐνταῦθα τὰ περὶ τὴν κεραύνωσιν Τυφῶνος καὶ τοὺς Αρίμους. *Eò loci Typhonem fulminatum, atqve Arimos ibi sitos esse fabulantur.* Est autem Orontes, fluvius Cœle-Syriæ; in qva profligari Typhonem Græci qvidem rectè; sed ad Orontem id fieri perperam, &, pro more suo, ineptè statuunt. Illius attamen interitus & sepulturæ locum verè prorsus & disertè perstringit Homerus eo versu, qvi, notariorum incuriâ prætermissus, tribus superioribus ἐπανακεφαλαιωτικῶς addi solet: nempe

Χώρῳ ἐνὶ δρυόεντι, Ὕδης ἐν πίονι δήμῳ

Agro in qvercino, Hydes inter opimum populum.

Ὕδην, scio, multi in *Lydia*; nonnulli in *Cimmeria* (fortè qvòd ubi locorum fuerit, illos omninò latuit) sitam volunt. At *Hyden* inter Lydos inveniri pertinaciter inficiatur ille Geographus qvem toties citat Eustathius in Il. 2. Nec loci descriptio Homerica Lydiæ conveniat: *Hydes* enim pingve erat solum & qverce-

tis

(e) *Eustath. in Dionys.* περιηγ. *pag.* 133. *& in Ilia. pag.* 262.

tis abundans: *Mæonia* verò (qvæ & *Lydia*) ἄδενδρ☉ πλὴν ἀμπέλε: *arborem nisi vitem non habet.* (*f*) Summa præterea camporum facies erat cinerulenta, petrosa, ac nigra, ut Strabo *lib.* 2. non veritus sit eam regionem, nempe Lydiam, vocare κεκαυμένην i. e. *ambustam.* Hyde igitur vel nusqvam est, vel qvô locô delitescat, ignoratur: Qvod si mihi liceat hodiè censorem agere, Ὕδην adscititiâ qvâdam formâ jamdiu larvatam detegam; eamqve, ut vagabundas solent, corrigam; & tandem in patriam suam, Syriam nempe, immò ipsum Ogi regnum, denuò remittam: in *Syria* nimirum (latè hîc, ut solet, accipitur *Syria*) commorata est *Hyde*, usqve dum celeri notariorum pennâ longiùs evolasset: Est enim ὕδη procul dubio sphalma graphicum, qvum primitùs, ut opinor Ἴεδα fuit. Ita igitur versus istos Homericos legendos censeo

(*f*) *Eustath. in Dionys.* περιηγ. *p.* 125.

Γαῖα δ' ὑπεστονάχιζε Διὶ ὡς τερπικεραύνῳ
Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ
Ἐν Ἀρίμοις; ὅθι φασὶ Τυφωέ☉ ἔμμεναι εὐνάς.
Χώρῳ ἐνὶ δρυόεντ', Ἰέδης ἐν πίονι δήμῳ.

Terra

- *Terra verò subtùs gemiscebat Jove qvasi fulminibus–gaudente*
- *Irato, qvando circa Typhoëa terram verberat*
- *In* Arimis *ubi dicunt* Typhoëi *esse cubilia*,
- *In Agro* qvercubus *abundanti* Judæ *inter opimum populum*.

Scribarum certè vel inconsiderata celeritas, vel ignorantia, τὸ ἰȣ́δης inhumanè tractavit, ita ut non modò caput ejus, nempe τὸ ι abscidit; abscissum voci δρυόεντ', finali suâ vocali per apostrophum privatæ, annexit; sed & ο in spiritum asperum & accentum vertit: hinc manca ac mutila vox ista ὕδης pro ἰȣ́δης. Non deerit tamen illi argumentum, si qvis autumaret (g) ab ipso Homero non ἰȣ́δης scriptum fuisse, sed ἰόδης eumqve hôc modô legi metricæ optimè consuluisse, nec non & Atticæ scriptioni morem gessisse. Veteres sanè Græci præ literarum inopia, vocem hebræam יהודה scribentes reddere ἰȣ́δα non valebant, sed ιοδα; priscum namqve Græcorum ἀλφάβητον (qvod literas sedecim tantùm habuit) υ carebat (g) unde ὀδὲν pro ȣ̓δὲν: ο pro ου: ἰδὸ pro ἰδȣ̀: & σποδαῖ© pro σπȣδαῖ© scribebant. ο au-

(g) *Videsis Marium Victorinum de arte gram. l.* 1. *Scal. in Euseb. & Salmasii notas in consecra. Templi in agro Herodis.*

autem pro ου usitari solet non modo ante viginti qvatuor literas ab *Ionibus* inventas, sed & longè post ad Socratis usqve tempora: ut probat doctissimus Salmasius in notis margine citatis *pag.* 39. Homerus ante Socratem qvingentos circiter annos vixit: adeò ut à ratione prorsus alienum non sit affirmare, qvòd Homerus hîc Atticè (nam tempore Homeri ο pro ου Attici duntaxat usi sunt, qvi sedecim literarum numerum diutissimè retinuerunt) metri causâ dixerit ἰόδης pro ἰούδης ἐν πίονι δήμῳ *Judæ inter opimum populum.* i. e. inter *Judæos* sive *Israëlitas* illos, qvibus sorte & victoriis obtigit ferax illud solum, qvod *Typho* sive *Ogus* antea tenuerat, & in qvo victus erat: felicem vult & opimam *Baschanis* regionem; qvam qvasi digitô monstrat Poëta illis etiam verbis, χώρῳ ἐνὶ δρυόεντ'. i. e. *in regione qvercubus abundanti:*

Qvæ enim regio ob *qverceta* celebrior? qvis ager ob pecudes uberior? ob frumenta fœcundior? hîc *qvercus* Baschanis, (*h*) illic *oves*, *armenta*, ac *triticum* (*i*) reliqvaqve omnia, qvæ regni istius fœlicitatem probant, honorificè commemorata sunt.

(*h*) *Isai.* c. 2. *com.* 13. *Ezech.* 27. 6.
(*i*) *Deut. cap.* 32. *comm.* 14. & *alibi.*

Sed

Sed qvid multa? qvis ab Homero terram Baschanæam non indicari censeat? qvis Arimos Cœle-Syros esse dubitet? nemo, herculè nemo: Mihi porrò luculentum videtur *Gigantes* illos, qvorum apud Poëtas haud infreqvens est mentio, *Amorrhæos* fuisse, *Anakæorum reliqvias*; & *Deos*, qvi (ut fingunt) *ex Ægypto provenientes* adversus Typhonem præliô dimicabant, *Israëlitas* extitisse; qvi & ipsi ex Ægyptô processerunt, Ogumqve Anakæorum omnium tunc temporis facilè principem atqve coryphæum devicerunt; ejusqve regnum, qvod ارض الجبابرة i. e. *Terra Gigantum* vocari solet, in ditionem suam redegerunt. Qvam autem ob causam Dii tandem dicti fuerint Israëlitæ, in promptu est explicare: notum qvippe homines pios & fideles ab Hebræis appellari בני האלהים i. e. *filios Dei*, atqve eô nomine opponi בני אדם i. e. filiis Adami sive filiis hominum, scilicet improbis & Ethnicis. Hinc ergo prisci illi Græci, qvi non modò Hebraicas historias & res gestas, sed etiam phrases modosqve loqvendi, vel ab ipsis Hebræis, vel à Phœnicibus edocti sunt, Israëlitas *Dei filios* appellare didicerunt;

runt; tandem verò & *Deos*: solent enim Græci Ἑλλήνων παῖδας, *ipsos Græcos*; μουσικῶν παῖδας, *ipsos musicos*; τοὺς τῶν γραμματικῶν παῖδας, *ipsos grammaticos dicere*: ideoqve qvos primò per Hebraismum Θεοῦ παῖδας *Dei filios*; eos ipsos extemplò propter vernaculum istum loqvendi morem, Θεοὺς *Deos* vocabant. Ita sanè: ni fortè per Deos intellexerint non omnes Israëlitas, sed Mosem duntaxat & Josuam: qvos ipsi priùs in Deorum album nefariè cùm retulissent, jam tunc neqvissimè colebant: illum *Bacchi* nomine, (k) hunc *Apollinis* sive *Herculis*.

Postremò Græci, ne qvid in Ogi historia celebre siccô pede præterirent, intactumqve relinqverent, ad πολυθρύλλητον istam *spondam* sive *cubile*, qvod litteræ sacræ (*Deut.* III. *comm.* II.) memorant, apertiùs alludunt: qvid aliud sibi velint apud Homerum (l) Τυφωέος εὐναί. i. e. *Typhonis cubilia*? nihil certè: Εὐναὶ autem, si probè intelligam, tùm στρατείαν, tùm τάφον, cùm κοίτην notent: & licèt qvævis significatio nostrâ satis interesse possit; illi tamen insigne illud historiæ momentum ob oculos habuisse, ac Poëtæ sensum veriùs exposuisse videantur, qvi

(k) *Vid. Cl. viros Vossium de Orig. & progres. Idolo. l.* I. *c.* 30. & *Bochartum de Phœn. colonüs l.* I. *c.* 18.

(l) *Vid. suprà.*

qvi κοίτην eligunt, & εὐνὰς *cubile* vel *lectum* reddunt: animô tamen à Virgilii diversô: ille enim, cùm veram fabulæ rationem non noverit, Poëtam (qvem transfert sæpiùs) rectè intelligere non potuit. Hinc igitur ἐν Ἀρίμοις, junctis inscitè vocibus, *Inarime* vertit; & εὐνὰς *Sepulchrum* interpretatur; qvod ex his constat. (*m*) (*m*) *Æneid. l.* IX. 715.

Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumqve cubile.

Inarime, *Jovis imperiis* imposta *Typhœo.* Hæc, inqvam, ita intelligebant antiqviores Græci: Postqvam autem vera Ogi seu (qvod idem græcè) Typhonis historia penitùs amissa, vel ab ipsis saltem corrupta fuerit; protinùs (ut ex aqva, qvam sibi hærere percipiebant, eò faciliùs emergerent) qvicqvid de illo dictum reperiebant, id omne μῦθον esse pronuntiantes, ad ἑρμηνείαν animos appulerunt. Undè qvamplurimi (*n*) *Typhonem* ἠθικῶς exponunt *fastum, atqve inanis gloriæ cupiditatem*; *centum capita, hoc est, multos modos elationis habentem*; *à Jove tandem, rectâ nempe ratione, fulminatam, incensam dejectamqve.* Alii verò στοιχειακῶς eum interpretantur *ingentem spiritum, Chao atqve Erebô solutis, agitationem,* (*n*) *Vid Tzetzen in Lycophr. p.* 38.

motum atqve ignitionem; qvæ non multò pòſt à Jove, id eſt, à benè temperato aëre ac cœlo compeſcebatur. Atqve etiam propterea qvòd in locis cavis admodùm ac pumicoſis, in Sicilia præſertim, fumus interdiu, noctu ignis ſolet erumpere, lapides & ſaxa projicere; finxerunt ilicò *Typhonem* à Jove in *Siciliâ* confoſſum: qvod tamen alii in *Lydia*, *Cilicia*, *Phrygia*, multiſqve aliis in locis, eâdem ratione ducti, factum volunt. At verò *Artemon* qvemlibet montem, ignis evomitione laborantem à *Typhone* comburi ſtatuit. *(o)* Ægyptii demum qvicqvid noxium fuerit & perniciofum, Typhonis nomine ſignificabant. Unde Plutarchus πᾶν ὅσον ἡ φύσις βλαβερὸν καὶ φθαρτικὸν ἔχει, μόριον τοῦ Τυφῶνός ἐστιν. i. e. *qvicqvid habet natura noxii & damnoſi ad Typhonem pertinet.*

(o) Vid. Tzetz. in Lycophr. p. 38. & Euſtath. in Il. ii. p. 261.

JOSUA

JOSUA & APOLLO idem.

CAP. III.

Josua & Apollo idem *reipsâ*, *nomine tenus* oppositi. יהושע Jehoschua *vel* Josua, *a servando:* Ἀπόλλων Apollo *à perdendo.* Josua *cur à Græcis* Ἀπόλλων *dictus.* Josuam *laudibus efferebant* Cadmæi *Phœnices:* illum *verò Phœnices* Africani latronem *vocabant.* Παιὰν *antiqvissimum nomen* Apollinis. Pæan *&* Josua *nomina ἰσοδύναμα:* Ἰησοῦς *&* Ἰήϊος *eadem.* Apollo *undè* Medicinæ Deus, Ἀλεξίκακος, Ἀκέσιος, Οὔλιος. Ἰὴ Παιὰν *exclamatio* valetudinariis *usitata.* Apollo *ab* Anakim *vel* Anacæis *victis* Ἄναξ *dicitur.* Anacæus Phœnicem *significat, qvomodò:* Phœnices *ita dicti, non, ut multi volunt, à* palmis, *à* purpuræ *aut* Rubri Maris *colore, (mare autem* Rubrum *sic appellatur, non à colore, sed ab* Erythra *rege.* i.e. Edomô *seu* Esavô, *cujus posteri* Idumæi *mare illud accolebant. in notis) Nec* ἀπὸ τοῦ φοινίξαι i.e. *ab occidendo, Nec à* Phœnice, *qui &* Erythras *sive* Edomus *fuit.*

Sed à בני ענק Bene-Anak, *sive* Phen-Anak; *nam Græci*, Beth Hebræum *emollire solent:* undè ἄῤῥα arrhabo *pro* ערבון araba,&c. *ex observatione D.mi* Bocharti. Anakæi *gens clarissima ob* robur, militiam, *&* literas. Og *Philosophus. vid. annotat: Sidonii, aliiqve* Cananæi *sibiipsis arrogabant* Anakæorum *nomen & gloriam*, *sese* Ben-Anak. i. e. *filios Anaki vocitantes. inde* φένακες, *mox* φένικες, *tandem & corruptissimè* Φοίνικες. Ἀνακαῖος *per contractionem fit* ἄναξ. ξ *valet* κ *&* σ. *Tyrii* θαλαττοκρατοῦντες. *Mercatores Tyrii, Principes habebantur.* Unde Græcum τυράννου *nomen*, Gallicum *Sire*, *&* Anglicum *Syr. Conjectura de Tyrrhenorum Origine, & cur* τύῤῥηνοι *dicerentur. Tyrrheni perinde ac Phœnices* ἀνθρωποθύται. *v. annotat: Tyrus* צור Tsur *vel* Sur: *inde* Syria *&* Syri. *Syrus tandem* Servum *denotabat, in not:* Josua *cur* Ἄναξ *dictus.*

Liqvet jamdudum qvàm benè inter sese conveniant *Ogus* & *Typho:* restat adhuc, qvod proximum est, ut ostenderem nè hilum qvidem interesse *Apollinem* & *Josuam.* Qvod ut effectum daretur,

animô

animô volvi ac perpendi eorum nomina: his enim ὀνομαλοθέται rerum naturas sæpe & historias complecti solent: ut non inscitè *Plato* in Cratylo pronuntiaverit *impositionem nominum non fuisse φαύλων ἀνδρῶν οὐδὲ τῶν ἐπιτυχόντων.* i. e. *imperitorum, nec qvorumvis.* At dicat aliqvis. *Apollinis* & *Josuæ* nomina tàm diversæ sunt indolis & ingenii, ut priùs ignem des aqvæ in matrimonium, qvàm duo hæc vocabula fœdus icere, ac in unum coalescere facias. Qvippe qvia יהושע Jehoschua vel Josua, *Servatorem*; Ἀπόλλων Apollo, *Vadeum* notat. Illud nomen salutem præ se fert; hoc perniciem. *Apollinem* enim sic dictum putant *(a) ὡς ἀπολλύντα τὰ ζῶα.* i. e. *qvòd exanimat & perimit animalia.* Unde & *inustos morbo* Ἀπολλωνοβλήτους appellabant. Sit sanè ita; tantùm abest nihilominùs illos ut diversos censerem, ut vel ex eo nomine similitudinem non levem peterem. Nam qvi res gestas à Josua spectabant, & ante oculos habebant legem præceptumqve Dei, qvibus obstrictus Josua, Cananæos omnes funditùs evertere, aut fugare tenebatur; illi, inqvam, *Josuam* non ineptè *Apollinem* vocabant. Nec fuit primò infamiæ, sed

(a) In Phaëtonte Euripides. & Archilochus apud Macrobium l. 1. c. XVII.

vindictæ vocabulum: honestius enim, si rectè intelligam, de *Josua* sentiebant illi *Phœnices*, qvi *Cadmi* ductu migrabant ultrò in *Græciam*; qvàm qvi à *Josua* & *Israelitis* pulsi è patrio solo concedebant in *Africam*: Illi certè terram vertere coacti, *Josuam* crudelem Tyrannum, & (ut *Scythæ* verbis ad *Alexandrum* huc transferam) *omnium gentium, qvas adibat, latronem* judicabant. (*b*) Cadmi verò colonia *Josuam*, non ut *sævitiæ mancipium*, sed ut *flagellum Dei* potiùs suspiciebant, ac laudibus efferebant * & hinc apud Græcos ortum puto nomen Ἀπόλλων. Qvi verò qvid Josuæ *nomen* significaret, adverterunt, eum Παιᾶνα i. e. *Pæanem* vocabant. Qvod nomen omnium, qvibus Græci Apollinem notare solent, maximè proprium atqve antiqvissimum duco. Mihi argumentô est, qvod vel puellum adhuc eô nomine insigniri finxerint: nam *Latona*, inqviunt, *cùm propius*

* *Vid. cap. ultimum.*

(*b*) *Liqvet ex Procopio in Vandalicis, ubi columnas qvasdam tradit in Africa Tingitana erectas cum Phœnicia inscriptione, hujusmodi sensum præ se ferente.* ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ φεύγοντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ. i. e. Nos ii sumus, qvi fugerunt à facie Josuæ latronis filii Nave.

piùs accessisset Typhonis antrum, ne à serpente statim opprimeretur; Apollini tunc puello, & sagittis armato animos addebat, acclamando, ἰὲ Παιὰν ἰὲ Παιάν; i. e. *mitte Pæan, mitte Pæan.* monens ut tela in bestiam mitteret. hæc illi fabulosè: ex qvibus attamen elucet & manifestum est, *Pæanem* nomen antiqvissimum esse; seriùs igitur in usum prodiit vox Ἀπόλλων & aliam fortè, qvàm qvæ suprà traditur originem sibi vendicat. * Apollo autem Παιὰν sive Παιὼν dicitur ἀπὸ τοῦ παύειν qvod est θεραπεύειν. i. e. *mederi & salvum facere* (c) Æqvipollent igitur *Pæan* & *Josua*; eandemqve, qvod verisimile est, olim denotabant personam. Certè Ἰησοῦς, *Josuæ*: & Ἰήϊος, *Apollinis* nomina, (si vox Ἰήϊος (d) ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι. i. e. *à sanando*, ut volunt, deducta sit) non modò ἰσοδυνάμα sunt, sed & eadem. Verumenimverò qvamprimùm *Josuæ* historiam & res gestas error & ethnicismus eò obscuraverat, ut, qvis ille *Pæan* esset, Græci penitùs ignorarent; vim verbi tantùm retinentes, in animis, nescio qvem *Medicinæ Deum* finxerunt: (e) qvem *Athenienses*, Ἀλεξίκακον, *Elei* Ἀκέσιον ea propter appellabant: qvin & *Milesii*

* *Vid. c. 10. ad finem.*

(c) *Eustath. in Hom. Il. 1. p. 104. edit. Basil.*

(d) *Aliam τοῦ Ἰήϊε originem videas in cap. 7.*

(e) Παιᾶνα πάντων τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν ἰατρὸν *Lucian. de podag.*

 Οὐ-

Οὔλιον. i.e. *medicum:* οὔλειν enim est ὑγιαίνειν *Eustathius.* unde illud Homeri in Ὀδυσσ.

Οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε.

Vale atqve vehementer salve.

Hinc igitur apud Gentes ille mos obtinuit, ut cùm sibi dari sanitatem precarentur, Ἰὴ Παιάν. i. e. *medere Paan* clamarent.

In summa constat utriusqve nomina ejusmodi esse, ut qvæ huic propria sunt, alteri qvoqve non impropriè tribui possint. Sed manca adhuc, inqvies, & mutila erit ista, qvam polliceris, analogia; si non & re gestâ simul conveniant: esto. *Apollinem* verò *Ogum* & reliqvos etiam, qvos Hebræi בני ענק Bene-Anak i. e. *filios Anaki* vocant, devicisse, non obscurè mihi videtur indicare freqvens ista, qvâ eum Poëtæ invocare solebant, appellatio; τὸ Ἄναξ dico: ita enim vetustissimus Poëta *Orpheus*

Ὦναξ *(pro* ὦ ἄναξ*)* Παιὰν ὦ βασιλεῦς,
κακαπαύων Ἀπόλλων.

Qvod, si qvid ex institutione prima (& non ex usu nimis inveterato) significarit ista vox, spectandum fuerit, ita redderem

O Anacæus Paan, ô rex, ô mala-sedans Apollo.

Et

Et illud *Homeri* (hymnô in Apollinem)

—— οἱ δ' Ἄνακτα
Πύθιον καλέουσιν ἐπώνυμον.

—— *Hi verò Anacæum* i. e. Apollinem.
Pythium vocant cognomine.

Orpheus sanè ταυτολόγος esset (qvod in appellativis saltem nominibus qvàm ineptum!) si nihil aliud per τὸ Ἄναξ intellexerit, qvàm *ô rex*; cùm statim subjungat ὦ βασιλεῦ. Ἄναξ igitur (pace Grammaticorum qvi id aliunde deducunt) *(f)* ab ענק *Anak* vel ענקים *Anakim* potiùs arcessendum puto. Sin autem τὸ Ἄναξ ab *Anakim* suos acceperit natales; nil mihi, regerat aliqvis, magis ἀπροσδιόνυσον & incongruum videri possit, qvàm *Apollinem*, qvem inter & *Josuam* nihil esse statuis, *Anacæum* vocare. Qvomodò enim *Josua*, qvi tantô *Anacæos* odiô prosecutus est, ut in eorum stirpe delenda vires omnes ac nervos suos intenderit, nomen illud attribui potuit? non inepta qvidem dubitatio.

(f) *Vid. Eustath. in Hom. Il.* 1. *pag.* 16.

Qvâ igitur ratione Ἄναξ *Anacæum*; Anacæus *Phœnicem* nec non & *Josuam* denotet; ita accipite.

Phœnices (qvos alii ἀπὸ τῶ φοινίκων. i.e. *à pal-*

à palmis, qvibus consita erat Phœnicia; alii à *Phœnice*, Agenoris *filiô*, qvi *Phœnicibus* imperavit; alii à *colore* Rubri Maris; (g) *à purpureo colore*, qvô celebris erat *Tyrus*, alii deducunt: qvos Cl. Vossius à *Phœnice*, qvi & *Erythras* fuit, sive *Edomus*, arcessit; Aristoteles * autem ἀπὸ τοῦ φοινίξαι, qvod *Peræborum* dialectô est αἱμάξαι. i. e. *occidere*. eò qvod, ut inqvit, Phœnices primi maria navigantes, qvocunqve appellerent, omnes necarent.) illos, inqvam, vir εὐστοχώτατος & undeqvaqve doctissimus Samuel Bochartus omnium rectissimè à בני ענק i. e. Bene-

* *In Mirab. Auscult.*

(g) Herodot. *in Clio c.* I. Diodorus *l.* XVI. & *alii apud* Strabonem *l.* I. *statuunt* Phœnices *olim fuisse rubri maris accolas*, *sed terræ motu vexatos* Assyrium stagnum *primò*, *mox autem maris* Mediterranei *littus incoluisse*; & Phœnices *dictos fuisse* ὅτι καὶ ἡ θάλαττα ἐρυθρά. i. e. *qvod mare sit rubrum. Hoc illi: Mare autem rubrum dicitur non à colore, ut nugantur, sed ab* Erythra *rege; id est*, Edomô *vel* Esavô. *qvi, qvòd à fratre suo* Jacobo *jusculum rufum petiit ac impetravit*, *Hebraicè* אדום Edomus. & *Arabice* احمر Ahmaro *i. e. ruber*; & *Græcè*, *qvod idem est*, Ἐρυθρὰς Erythras *vel* Erythræus *dictus est.* ἄδομα γὰρ οἱ Ἰουδαῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσιν ὅτι ξανθὸν βρῶμα δοὺς τῷ ἀδελφῷ τὰ πρωτεῖα εἰλήφει. *Steph. de urb. in voce* Ἰδουμαῖοι. Edomi *verò posteri* Phœnices *non sunt*, *sed* Idumæi *seu* Erythræi, *qvi mare illud accolebant.*

Bene-Anak (ac si *filios Anaki* dixeris) appellatos censet. in lib. 1. de Phœnicum coloniis cap. 1.

Anakæi enim gens inter Cananæos celeberrima fuit: qvæ tum robore ac corporeâ mole, tum belli & pacis artibus *(h)* eò usqve inclaruit; ut, tam qvi *Sidonem* & *Tyrum incolebant*, qvàm reliqvi *Cananæi*, licèt ab *Anakô* oriundi non essent, tamen ut tantæ prosapiæ gloriam sibi conciliarent, *pro filiis Anaki* se venditarent.

Anacæos autem se credi voluisse Phœnices, ex eô colligitur, qvòd *Carthaginem* ab ipsis conditam nominabant כדרי ענק Chadre-Anak. i. e. *sedem Anaki*. Ut intelligere est ex Plauti Pœnulo *Act.* 5. *Scen.* 2.

Tandem igitur, qvum Gens Anakæorum

(h) Anacæos ingenuas artes excoluisse, argumentô est Debir, *una ex præcipuis eorum urbibus: hanc enim fuisse* Academiam *rectè colligitur ex eo qvod* Kiriath-*Sepher. i. e. urbs librorum*; *&* Kiriath-Sanna *i. e. urbs doctrinæ & literarum dici solet.* Jos. xv. 15. 49. *Qvin & inter* Philosophiæ, *(qvæ apud* Phœnices. *i. e. Anacæos floruit)* cultores *accensetur* Og. *teste Aristotele in Magico. qvem vir doctus Otho Heurnius (in Chaldaicis) Baschanis regem, cujus biblia meminerunt, fuisse judicat.*

rum tam clarè audiebat apud omnes circumcirca nationes; *Sidonii, Tyrii*, reliqvique *Cananæi*, qvotqvot una cum *Cadmo*, vel seriùs ad Græciam appellebant, (non sedi figendæ solummodò, vel mercibus emendis vendendisve, sed & gloriæ ac existimationi velificantes) sese *Ben-Anak* vel *Anakim* esse jactitabant. Græci confestim nomen illud avidè deglutiebant; & Tyrios Sidoniosqve primò (voce, qvam acceperant ab ipsis, contractâ; & ad Græcæ lingvæ typum concinnatâ) Βένακας, appellabant: mox autem (nam Beth Hebræum Græci sæpiùs emolliunt undè φρέαρ *puteus* ex Hebræo באר Beer: ἀῤῥαβὼν arrhabo pro Hebr. ערבון Araba; qvod & in aliis, observavit Cl. Bochartus cap. suprà dictô.) φένακας vel φένικας; tandem & corruptissimè φοίνικας efferebant. φένικας autem (prout opinando conseqvamur) illi primò vertebant in φοίνικας, qvi nominis istius rationem reddere satagentes, ἀπὸ τῦ φοίνικος *i. e.* à *palma arbore*, qvæ freqvens est in Tyriâ, vel à *puniceo colore* deducebant.

Verùm Sidonios aliosqve Cananæos Græci ut à Ben-Anak, φένικας: ita ipsos ab Anakim, Ἀνακαίȣς vocabant. Ἀνακαῖος autem

autem citò contrahitur; &, αω dimissis, fit Ἄναξ. ξ enim valet κ & σ: undè Attici & Æoles σκίνος, ἱέρακς; ἀντὶ τοῦ ξένος, ἱέραξ scripserunt: adeoqve Græcorum ξ non secus ac X Latinorum, duplex vocari solet.

Ἄναξ igitur in initio fuit ἐθνικόν. i. e. *Gentile* nomen: posteà verò κλητικόν. i. e. *appellativum* esse cœpit: hâc, ut opinor, ratione: Cananæi maritimi, præsertim Tyrii θαλαττοκρατοῦντες, (i) i. e. *maris imperium nacti*, plurimas hic illic terras & regiones occupabant, rerumqve potiebantur.

(i) *Athen. dipnos: l.* XV. *Maris adeò potentes fuere* Tyrii, *ut indè in proverbium iverint* Tyria Maria. *docente* Festô.

Nec magna sibi nomina comparabant vi & armis solummodò, sed & opulentiâ luxuqve: adeò ut vel *Mercatores Tyrii* per totum ferè terrarum orbem summi viri & *Principes* haberentur. Ut testatur Isaias Propheta cap. XXIII. comm. 8. ubi *Tyrum* vocat המעטירה i. e. *coronas imponentem suis*. Et statim subjungit: *cujus Mercatores principes sunt, negotiatores inclyti terræ*. Maxima igitur *Phœnicum* potestas, splendor, & magnificentia, tantam in admirationem penè universos rapuit, ut *Tyrius*, *Syrus*, & *Anacæus* sive (qvod idem est) Ἄναξ, primò

gentis

gentis nomina; qvàm citò in *dignitatis & honoris* appellativa cesserint. Hinc Græcis τυράννε, (k) & Latinis *tyranni* nomen. Hinc

(k) Tyranni *nomen alii deducunt à* Turre *civitatis* Lyciæ, *qvod ibi primùm* tyrannidem *exercebant: alii* παρὰ τὸ τρύειν; *vel* τρύειν τοὺς λαοὺς καὶ ἀνίαν ἐπιφέρειν. i. e. *à* vexandô populo, & molestiâ inferendâ *derivant. nugæ! Doctiores id à* Tyrrhenis *arcessunt; eò qvod* crudeles *illi*, & sævitiâ *infames erant, vid. Festum. At id* Tyrrhenorum *crudelitati non referendum esse vel hinc constet, qvòd in initio honestius esset vocabulum, & justè legitimeqve regnantibus attributum.* ὁ τύραννος, τὸ βασιλικὸν πότε ὄνομα, βλασφημεῖται νῦν. *i. e.* Tyrannus olim fuit regium nomen, jam verò probrosum, *Eustath. Iliad.* 1. *pag.* 22. Immò *apud ipsos* Siculos *olim titulus ille splendidissimè audiebat; & ipsi* Dionysio, *priusqvam infamis esset ob sævitiam, summæ dignitatis & honoris ergò dari consvevit. mihi author est* Plato *in Epist.* 8. τότε γὰρ εἵλοντο Διονύσιον μὲν νέον καὶ πολεμικὸν ἐπὶ τὰς τοῦ πολέμου πρεπούσας αὐτῷ πράξεις, σύμβουλον δὲ καὶ πρεσβύτερον Ἱππαρῖνον, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς Σικελίας; αὐτοκράτορας, ὥς φασι, τυράννους ἐπονομάζοντες. *i. e.* tunc igitur Dionysium qvidem elegerunt ut juvenem, & militarem, ad bellicas administrationes obeundas idoneum: Hipparinum autem imperii socium adjunxerunt, cujus videlicet, ut ætate provectioris, consiliô res gererentur: atqve illis in universæ Siciliæ salutem incolumitatemqve, summam autoritatem atqve potestatem attribuerunt; & vulgatô vocabulô Tyrannos appellaverunt.

Honorificum igitur in initio Tyranni *nomen; nec* Tyrrhenorum *crudelitati, sed imperio ac magnificentiæ tribuendum. Ipsos verò* Tyrrhenos *alii* αὐτόχθονας, *i. e.* indigenas

Hinc itidem Galli suum *Sire*; & Angli nostrum **Syr**, (ac si Syrum vel angli-
cè

nas *esse statuunt; alii* ἐπήλυδας. i. e. advenas: *Qvi hoc volunt, attamen* (*ut Dion. Halicarnassæi verbis in lib.* 1. *utar*) de autore coloniæ, & de tempore multum variant. Ducem *namqve* Tyrrhenum *multi ferunt* Atyos *esse*, *qvidam* Herculis, *nonnulli verò* Telephi *filium*. Herodotus *& alii* Lydos *fuisse tradunt*: *hoc* (*teste* Dionysiô Halicar. *lib.* 1.) *pertinaciter negat* Xanthus Lydius, *antiqvitatis peritus*, *si qvis alius*, *& (ut inqvit ille) in patria historia nulli secundus. Eos igitur* Hellanicus *decernit fuisse primò* Pelasgos, *posteà* Tyrrhenos *dictos*. *Atqve hæc sententia*, (*qvod miror*) *etiam Cl.* Bocharto (*l.* 1. *de Phœnicum coloniis cap.* XXXIII.) *placuit. Qvum tamen* Myrsilus Lesbius, (*vir probatissimæ semper auctoritatis*, *& qvem* Dionysius Halicar. *in lib.* 1. *totum ferè seqvitur*) *eos in initio* Tyrrhenos, *seriùs autem* Pelasgos, *ob rationem mox dicendam*, *vocatos asserit. Tantùm abest*, *ut laudatissimus ille de rebus Italicis scriptor*, *Tyrrhenos à Pelasgis oriundos censeat.* Et mihi qvidem videntur, (*inqvit Dionysius Halicarn. l.* 1.) omnes errare; qvi credunt unam & eandem gentem fuisse Tyrrhenicam & Pelasgicam. diversam fuisse vel hoc argumento est (*inqvit*) qvòd Tyrrheni lingvæ speciem, dialecto Crotoniatarum vicinorum suorum, qvi à Pelasgis orti fuerunt, planè dissimilem habuerint. *Ideoqve cùm* (*præter propter aliorum inter se discrepantiam*) Xanthum Lydium, Myrsilum Lesbium, *&* Dionysium Halicarnassæum (*qvi ex probatissimis, ut inqvit, apud Romanos auctoribus, v. g.* Porcio Catone, Fabio Maximo, Licinio Macro &c. *collegit antiqvitates suas*) *auctores habeam*; Tyrrhenos *nec* Lydos *fuisse*, *nec* Pelasgos *è Græcia profectos*, *audacter adstruam.*

cè a Spr dicas) appellationes Dominis ac ipsis Regibus attributas, accepimus.

Erat

Non tamen indigenæ sunt Tyrrheni, *nisi cum Tyrrhenis etiam Tuscos (qvod à nonnullis haud rectè factum) conjunderemus: Illos igitur uti colonos unde deducam? certè à* Tyro: è qva *prorsus innumeri ferè, non mercandi tantùm, sed & novas sedes acqvirendi studiô, tum in* Græciam, *tum in* Italiam *delati sunt. Ideoqvè à Græcis appellati sunt* Pelargi, *qvod (ut Myrsili apud Dion. Hal. in l. 1. verbis utar)* τ̃ ὀρνέων τοῖς καλουμένοις πελαργοῖς εἰκασθέντες καὶ ἀγέλας ἐφοίτων εἰς τε τὴν Ἑλλάδα, καὶ τ̃ βάρβαρον i. e. qvâdam alitum pelargorum (*ciconiarum*) similitudine, agminatim oberrarent per Græcas regiones & Barbaras.

Tyrrheni igitur à divagando *Pelargi: & r in s mutatâ, Pelasgi. à* Patria *vero qvam reliqverant*, Tyro *scilicet*, Τύῤῥηνοι; *& mox ρ in σ versô*, Τυρσηνοί, *i. e. Tyrseni dicti sunt.* ἐπονομάσθ δ' ὑφ' Ἑλλήνων αὐτὰς τῇ προσηγορίᾳ ταύτῃ ὐδὲν κωλύει, καὶ διὰ τὰς ἐν τύρσεσιν οἰκήσεις, καὶ ἐπ' ἀνδρὸς δυνάσυ *i. e.* hôc autem nomine appellatos esse nihil vetat, *inqvit Dionysius Halicar.* vel propter domicilia turrita; vel ab aliqvo præpotente principe. *Hæsitat igitur* Dionysius; *non peremptoriè decernit. Annon &* Τυρσηνοὶ *qvoqve suam originem* Tyro *debeant? profectò* צור *Tsur. i. e.* Tyrus *Phœnicum sermone* rupem, montem, & locum munitum *sonat. Unde vox Hetrusca* turris: *& Græca,* τύρις (*Hesychio* περίβολος τ̃ τείχους: *i. e.* ambitus muri, turris) *ut &* τύρσις: *Hesychio* πύργος, ἔπαλξις, προμαχών. i. e. turris pinna muri, & propugnaculum.

Τυρσηνοὺς *ergò sic dictos arbitror, eò qvod à* Tyro, *civitate* muris, turribus, propugnaculis, *aut* rupibus *optimè munitâ, profecti sint.* Tyrus *enim, si* Insulam *velis, rupibus undeqvaqve tanqvam muris & propugnaculis, cingebatur:*

Non-

Erat enim *Tyrus* olim dicta צור Tsur; vel Sur; & incolæ *Surim*. Immò tota ista regio, qvæ prius *Aram ab Aramo* dice-ba-

Nonnus in Dionysiacis *lib.* XL. *Et si* urbem *seu* Palætyrum *intelligas, omnis generis munitionibus adsò instructa fuit, ut καὶ ἐξοχὴν diceretur* עִיר מִבְצַר צוֹר i. e. civitas munita Tyrus. *Jos.* XIX. 29. *ad qvod allusit* Zacharias *propheta cap.* IX. 13. *hac eleganti paronomasia: construxit* צור מצור *Tsur Matsur.* i. e. Tyrus munitionem *sibi.*

Porro Tyrrhenos *esse* Phœniceæ *originis, vel hinc inferri possit, qvod ἀνθρωποθυσίαις immane qvantum devoti fuerint: ut* Pindari Scholiastes (*in Pyth. od.* II.) *ex* Theophrasto *&* Timæo *notat; è Phœnicia qvippe delata fuit immanis ista religio.* Κρόνῳ γὰρ Φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυον τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων. *i. e.* Phœnices enim Saturno qvotannis sacrificabant dilectissimos & filios unicos. *Euseb. orat. in Constantini Cæsaris laudem: vid. Porphyrium de abstinent: Nec obstat, quod* Tuscorum *sermo differat à Phœniceo, cùm & ipse populus sit diversus.* Tyrrheni *namqve fuerunt* ἐπήλυδες. *i. e.* advenæ: Tusci *verò* αὐτόχθονες. *i. e.* indigenæ. *qvod in appendice pluribus ostenditur.*

(*l*) *Non me latet nostrum* Syr, *& Gallicum* Sire, *à doctissimo viro* Nicolao Fullero *aliunde derivari; nempe à* שר *qvod* virum primarium *significat. In cujus sententiam lubens iveram, si non maxima* Tyriorum *magnificentia, potestas, & maritima dominatio potius efflagitassent, ut à Gentili nomine* צורי Suri, *vel à* Syro *deducerentur. Tantam verò Eclypsin posteà sustinuit splendidum illud nomen: ut* Syrus *apud Romanos* servum *denotaverit, prout ex* Cicerone *in* Pisonem *colligas.*

batur; ab illa civitate, *Syria*; & incolæ, *Syrorum* nomen habent.

Hinc demum *Græcis* vox illa (cujus originem tam altè repetivimus) Ἄναξ, *rex:* qvippe, cùm priùs *Anacæum* seu *Phœnicem* designaverit, ob *Anacæorum* splendorem, divitias ac imperium, *dominis* ac regibus esse titulo cœpit.

Tandem aliqvando (ut eò, qvò collineavit hæc oratio, pertingam) Græci, qvi jam tunc de *Phœnicibus* seu *Anacæis* solummodò maxima sentire, atqve omnia bona dicere; nec non & eorum fortunas laudare didicissent; dum *Josuam* vel (qvod idem est Græcè) *Pæanem*, Phœnices inter tam præclarè egisse, totqve victoriis onustum fuisse audiunt; summis encomiis ac æstimatione dignissimum uno ore pronuntiant: ideoqve ipsum, ut titulô longè celeberrimó cohonestarent, Ἄνακτα vocant: viri dignitatem; vel ferrô qvæsitum magis qvàm natale solum spectantes. Forsan attamen qvia cunctos terram *Chanaan* inhabitantes, *Anacæos* seu *Phœnices* appellare moris erat, idcirco ut aliqvô modô designarent regionem, cui *Pæanem* suum, multósqve de eo δεδαιδαλμένους μύθους acceptos referunt,

runt, *Apollinem* sive *Josuam* Ἀνακαῖον vel Ἄνακτα vocitabant. Si non (qvod mihi maximè arridet) ob victorias potiùs, qvas de *Anakim* sive *Anakæis* reportabat, Ἀνακαῖος & concisè Ἄναξ; (eâ ratione qvâ *Scipio*, *Africanus*; *Cæsar*, *Germanicus*;) appellatus sit.

Et propterea qvod *Josua*, dum ut *Heros* celebraretur, Ἄναξ dictus fuerit; eô qvoqve nomine vel postqvam in *Deos* relatus esset, invocari solet; atqve ex eo factum, ut Ἄναξ θεῖα λέξις. i. e. *divina dictio* vel *titulus* censeretur.

JOSUA HERCULES ÆGYPTIUS.

CAP. IV.

Josua & Hercules Ægyptius idem. *Coætanei.* Rebus *gestis similes.* Hercules *à partibus* Deorum *stans*, Gigantes *vicit.* *Gigantes qvi*, ex Macrobio. *Gigantum* metus *unde.* *Cur illis à* Pane *injectus fingatur.* Ægyptus ארץ חם i. e. *terra Chami.* Χέμμις. i. e. mansio *vel* tabernaculum Chami. Chamus *Ægyptiorum* Pan. Hercules *cur lapidibus* è cœlo *missis adjutus*; *&* Baccho *comes dicatur.* Indi, *qvos debellavit*, Cananæi. Phœnicia *&* Arabia *olim* India *dictæ.* *Arabiæ* Nysa *in Indiam translata.* *Hercules* Ogmius *qvis.* Eloqventiæ symbolum *unde.* Hercules *unde* gigas fingeretur.

Vidistis hactenus qvàm similes inter se fuerint *Josua* & *Apollo.* Deinceps, uti spero, non ingratum erit, aut ineptum; si, qvatenus in tertio conveniunt, ostendero. *Herculem* igitur &

Apol-

Apollinem eundem esse variis adstruit argumentis *Macrobius* in Saturnalibus: *(a)* ut in eo probando diutius immorari supervacaneum esset. Cum *Josua* porrò convenire *Herculem* multæ rationes haud inconcinnæ probant. Ut omittam ea, qvæ coætaneos & populares esse demonstrant, (fuit enim ut *Josua*, ita etiam *Hercules* ille, de qvo loqvimur, *Ægyptius:* qvi, Possevinò teste, ad annos circiter mille ducentos ante Alexandrum, qvod Josuæ temporibus aptè convenit, *Baccho* commilitonem se dedit, & unà cum illo ad *Nysam* montem comparuit) pro nobis militat argumentorum acies, è rerum ab ipsis gestarum similitudine instructa. Qvippe ut *Josua* Cananæos olim, Baschanitas inprimis (qvorum regio dicitur *terra gigantum)* bello fudit; ita *Hercules* (nil præter nomen fingunt) à parte *Deorum* pugnans, *Gigantes* vicit & profligavit. *Deos* autem, qvorum hîc facta mentio, ipsos *Israëlitas* fuisse perspicuum est: qvod & ex iis, qvæ suprà *(pag. 17.)* dicta sunt, clariùs elucet. *At etiam Gigantes*, inqvit Macrobius, *(b) qvid aliud fuisse credendum est, qvàm hominum qvandam impiam gentem*, (qvalis

(a) *Lib.* I. *cap.* XVII. & XX.

(b) *Saturn. l.* I. *cap.* XX.

ista Cananæorum) *Deos negantem, & ideò existimatam Deos pellere de cœlesti sede voluisse. Qvorum pedes in Draconum volumina desinentes, significabant nihil eorum rectum, nihil superum cogitasse; totius vitæ eorum gressu in inferna vergente.*

Unde ἀθέες eâ fabulâ perstrictos esse constet. Adhæc Gigantes, dum contra Deos bellum gerunt, eximiô qvôdam metu perculsos fuisse referunt: *(c)* hoc autem non aliunde confictum arbitrer, qvàm ex historia Josuæ; *(d)* ubi panicus iste timor ita describitur. *Diffluebant omnes* Cananæi, *liqvefiebant eorum corda, nec esset, amplius in iis animus, metu filiorum Israëlis.* At si magnus ille, qvi *Gigantes* invasit, horror, ab *Israëlitis* ingruentibus ortus esset; cedo mihi, dicat aliqvis, cur illis à *Pane* injectus dicatur (fingunt enim *Pana* terrorem illum Gigantibus in Deos aciem struentibus injecisse:) *(e)* Hæc ut se res habuit, qvæso audias: Ægyptus olim (qvod probè notum) dicta fuit *Cham*, vel ארץ חם i. e. *terra Chami:* *(f)* Est autem *Chamus*, à qvo terra nomen accepit, Ægyptiorum *Pan.* Ut ex Diodoro Siculo *in Biblioth. hist.* lib. 1. colligere est. Ubi *de Pane* locu-

(c) *Vid. Nat. Com. mythol. l.* VI. *cap.* XXI.

(d) *Cap.* 11. *com.* 9. & 24. & *cap.* V. *com.* 1.

(e) *Videsis Nat. Com. myth. in loco jam citato.*

(f) *Psal.* CV. *com.* 23. & *tabernacula Chami.* Psal. LXXVIII. *com.* 51.

cutus, hæc addit: τούτῳ γὰρ τοὺς ἐγχωρίους οὐ μόνον ἀγάλματα πεποιηκέναι κατὰ πᾶν ἱερὸν ἀλλὰ καὶ πόλιν ἐπώνυμον κατὰ τὴν Θηβαΐδα καλουμένην μὲν ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων Χέμμιν; μεθερμενευομένην δὲ Πανὸς πόλιν. i. e. *huic enim non modò simulachra in omni passim fano; sed etiam urbem ejus nomine in Thebaide, qvam* Chem-min *appellant Incolæ, & Panos urbem interpretantur, extruxerunt.* Nam cùm Deus ille, qvem *Ægyptii* in omni passim templo colunt, sit *Chamus:* (à qvo ipsi oriundi sunt, & cujus nomine Ægyptus olim χημία;) *(g)* jam nunc à Cophtitis *Chemi (h)* dicitur; & cùm urbs χέμμις (qvam ipsi per interpretationem *Panos urbem* vocant) nil aliud sonet qvàm *Chami mansionem* sive *tabernaculum*; *(i)* rectè mihi concludere visus sum, qvod *Chamus* ab Ægyptiis olim *Pan* appellatus fuerit. Qvocirca (ut rem expediam) dum timorem Gigantibus. i. e. *Cananæis* incussum *à Pane* fingunt, nil aliud intellexisse videantur, qvàm illos à *Cham*, i. e. ab *Ægypto* metuisse; idqve qvoniam Israëlitæ, qvorum exercitus ita formidabant, *ex Ægypto* processerunt. Hæc, ut opinor, ita se habent.

(g) Plutarch. in Iside.

(h) Vid. Kircheri. prodrom. Coptum. p. 293.

(i) Est enim myn *apud Ægyptios* mansio *sive* tabernaculum.

Porrò autem sicut *Josua*; *(k)* sic *Hercules* etiam *lapidibus è cælo missis* adjutus fuit: *(l)* unde, ut reor, *Saxani* nomen (cujus rationem *Gyraldus* se ignorare fatetur) accepit.

(k) *Jos.* x. *comm.* 11.
(l) *Vid. Lilium Gyraldum in* Hercule.

Prætereà qvemadmodum Josua, Mosi, in expeditione contra Cananæos inita, comes fuit; haud aliter Hercules, Baccho (cui fingendo exornandoqve ex *Mosis* historiâ qvamplurima delibarunt: ut Cl. Vossius & post illum Bochartus benè ac eruditè probant.) *(m)* ad debellandos Indos commilitonem se dedit. *(n)*

(m) Vossius *de orig. & progress. Idol.* Bochartus *de Phœnic. coloniis. pag.* 495.
(n) *Philostratus de vita Apollonii lib.* II. *cap.* XIV.

Indos autem, qvos oppugnavit Hercules, Cananæos fuisse plusqvàm verisimile est. Veteres enim *Græci* tam latè accipiebant *Indiam*, ut terris omnibus ultra mare Mediterraneum sitis, id nomen aliqvoties impertiverint: qvod non obscurè demonstrat Andromedæ historia: de qva Ovidius * ita canit.

Andromedam Perseus nigris portavit ab Indis.

* *De arte amandi.*

Cùm tamen *Andromedam* non ab *India* propriè dicta abduxerat, sed à *Joppe* Palæstinæ vel Phœnices urbe: ibi enim *ceto* expositam *Perseoqve* nuptam tradunt.

Εἰσὶ δὲ (inqvit Strabo) *(o)* οἱ τὴν Αἰθιοπίαν εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς Φοινίκην μετάγουσι, καὶ τὰ περὶ τὴν Ἀνδρομέδαν ἐν Ἰόππῃ συμβῆναι φασίν. i. e. *Sunt qvi Æthiopiam in nostram Phœnicem transferunt; & qvæ de Andromeda narrantur; apud Joppen evenisse tradunt.* Et in hoc (inqvit Casaubonus in Locum) omnes geographi & historici conveniunt. Et Plinius in lib. IX. hist. nat. cap. V. hæc habet. *Belua, cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ apportata ex Oppido Judææ Joppe, ostendit inter reliqva miracula ædilitate suâ M. Scaurus.*

(o) Geograph. lib. I. & lib. XVI.

Sed qvòd Europæi tam vicinam sibi fecerint Indiam, non tam errori dandum, qvàm adulationi. Qvippe cùm multò gloriosiùs esset Alexandro *Asiam* ad *Indicos* montes usqve, qvàm ad intimum *Euxini* sinum, & *Caucasum* duntaxat subegisse; Multi idcircò, teste Strabone, κολακείας μᾶλλον, ἢ ἀληθείας φροντίζοντες; *adulandi, qvàm veritatis studiosiores*, ut gratiam regis inirent, *Caucasum Indiæ montem* statuebant: Qvum tamen *Caucasus* ab India plusqvam triginta stadiorum millia distet. *(p)* Qvin & eâdem facilitate, qvâ *Caucasum*,

(p) Strabo lib. XVI.

casum, *Joppem* qvoqve; totam deniqve *Palæstinam* reddebant *Indicam*: & *Palæstinos*, *Indos*. Eoqve res rediit, ut & Arabiæ *Nysam*, à qva *Bacchus*, Eustathiô (q) teste, dictus est Διόνυσος, *in India* collocarint. Nam si non Arabiam simul Indiæ vocabulô complexi essent, qvorsum Arabes Dionysium κατ' δόξαν τῆς ἐς Ἰνδοὺς στρατιᾶς. i. e. *ob famam ducti in Indos exercitus* olim colebant. Præsertim qvòd expeditionem *Bacchi* & *Herculis* ad Indos, propriè nuncupatos, omnes ferè (si Straboni credamus) *fabulosam semper & minimè credendam arbitrati sunt*.

(q) *In Dionys. περιηγ. p.* 156.

Ratum igitur fixumqve maneat antiqvos olim *Bacchi* & *Herculis*, *Mosen* & *Josuam*: *Indorum* verò nomine, *Arabes* & *Cananæos* intellexisse.

Postremò *Josuam* qvoqve spectasse videtur illud nomen, qvô *Galli* antiqvitùs *Herculem* nuncupabant. τὸ Ἡρακλέα οἱ Κελτοὶ Ὄγμιον ὀνομάζουσι φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ. i. e. *Herculem Galli patriô sermone Ogmium vocant.* (r) Unde verò Ὄγμιος? Annon ab *Og* victo? Qvippe ut Apollinem Græci, à *Delphino* cæso, Δελφίνιον appellabant; ita forsan (neqve enim

(r) *Lucian. in Hercul.*

enim id audacter asserere) *Herculem* sive *Josuam*, ab *Ogo* victo, Ὄγιον: Suspicor enim τὸ μ (sive id Celticâ, sive Græcâ epenthesi factum) seriùs in illud nomen irrepsisse. Nam Græci τὸ μ sæpenumero mediis vocibus inserunt. Teste Eustathio in Iliad. β.

Qvod in hoc vocabulo præcipuè fieri curabant, ne cognominis ratio (qvæ in prima ejus syllaba, *Og*, elucet) extingveretur. Nam literâ μ interpositâ cautum est, ne γ & ι unam conflaret syllabam, & ο sibiipsi relinqveretur: qvod si fieret, vox ipsa vim suam ac emphasim amitteret. Lucianus, eqvidem scio, Herculem Ὄγμιον appellatum tradit φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ. i. e. *voce* (Gallis) *patriâ* atqve *vernaculâ*: Sed hoc forsan ejus ignorantiæ cum venia dandum: qvi, cùm exteram vocis illius originem ne suboleret qvidem, *Celticam* esse judicabat. Verùm enimverò nomen illud (si qvid mea sapiat conjectura) ortu, *Phœniceum* est; formatione, *Græcum*; atqve solummodò usu, *Gallicum*.

Veteres enim Galli, in publicis privatisqve rationibus, non modò Græcis

lit-

litteris, (*f*) sed etiam vocibus plerisqve integris usi sunt.

(*f*) *Vide Cæsar Com. lib.* VI.

Hunc verò *Ogmium* sic pingebant Galli, ut ingentem hominum multitudinem, omnes ab auribus revinctos trahere lingvâ suâ videretur. Per qvem recentiores haud aliud intelligi, qvàm *eloqventiam* volebant: Qvæ tam eruditâ atqve apertâ oratione docet; tam svavi grataqve demulcet; tam robustâ atqve pugnaci movet; ut gravitate rerum, dulcedine verborum, argumentorum seu vi, seu specie correptos auditores, in qvàm ipsa velit partem, unius lingvæ imperiô traducat universos. Antiqviores attamen ipsum *Josuam*, ni fallor, eo nomine designabant: Cujus ab ore sic pendebant Israëlitæ, ut Lucianus, qvid τῆς γραφῆς τὸ αἴνιγμα. i. e. *picturæ istius ænigma* præ se ferret, hæsitans; (*t*) è *Josuæ historia* (si modò eam consuluisset) rectiùs multò, qvàm à *Celtico* illo *philosopho*, didicisset; In ea prorsus *Israëliticas* multitudines, *Herculem* suum, putà *Josuam* (ut Luciani verbis utar) *lætè ac alacriter sequentes, ducentem admirantes, ultro festinantes omnes* viderit.

(*t*) *In Hercule Gallico.*

Mirandum certè illud obseqvium,

qvod

qvod ei pollicebantur his verbis. *Qvicqvid præcepisti nobis, faciemus; & qvocunqve miseris nos, ibimus. Qvisqvis rebellaverit ori tuo, & non auscultaverit verbis tuis in omnibus, qvæ præceperis ei, morte plectitor.* (u) Hinc istam *Herculis* imaginem, hinc *eloqventiæ* symbolum desumpserunt. Hæc æqvô animô, velim, ut accipias Lector: &, qvia personas aliqvô modô mistas confusasqve vides, non tam mihi, qvàm Veteribus ignoscas; à qvibus hoc iniqvè factum; ut Herculi partim *Græco*, partim *Gallico* tributa sint, qvæ ab *Ægyptio* tantùm patrata erant.

(u) *Jos. cap.* 1. *com.* 16.

Aptiùs attamen, inqvies, *Hylæ* sandalium pedi *Herculis* accommodes; qvàm *Josuam Herculi*, ut ut *Ægyptio*, similem præstare valeas. Ille enim mediocris staturæ fuit; hic giganteæ: Sed nec hoc analogiæ rationem turbet infringatve: Non enim revera gigas fuit, sed esse fingitur. In causa, prout opinor, erat ambiguitas istius tituli, qvo *Phœnices* aliiqve *Orientales* solent virum summi nominis ac potestatis insignire. Qvippe גבר *Gibbor* (prout Arabum qvoqve جبار *Gibbâr*) tum *præpotentem*, tum

tum *gigantem* sonat. Postqvam igitur Josua, sive (ut Græcô more loqvar) Hercules ille Ægyptius in Phœnicum præconiis *Gibbor* i. e. magnus & præclarus vir indigitari soleret; Græci propediem (qvos non latuit altera illius verbi significatio) gigantem nescio qvem fingendi ansam inde arripiebant.



JOSUÆ PATER NUN FIT JUPITER.

CAP. V.

Joſuæ pater Nun in Jovem *convertebatur; qvòmodo.* Priſci Νῦν, Deum *&* *mundi* creatorem *vocabant.* Orphei πρωτόγονον ᾠὸν *i, e.* primigenium ovum, *qvid*; *&* *unde.* Mundus *ipſe* ex ovo *ῳᾶνοιδὰς.* Apollo *cur* artium *&* ſcientiarum præſes *factus.* Joſuæ *mater* *in* Latonam *verſa.* Λητὼ qvid.

Joſuam igitur & Apollinem (ſive *res geſtas*, qvibus uterqve inclaruit; ſive *nomina* ſpectemus) ſimiles extitiſſe, ſatis apertè oſtenſum: Sed tamen eoſdem fuiſſe non eviciſſe videar, uſqve dum patre eôdem, eâdemqve matre prognatos adſtruxerim. Qvod ipſum prorſus haud timidè pronuntiandum cenſeo. Qvibus itaqve modis Joſuæ pater *Nun* in Jovem, nec non & mater ejus in *Latonam* converterentur, explicandum venit. Primò qvidem veriſimile eſt Græcos olim *Joſuæ*, hoc eſt *Pæanis* ſui geſtis enarran-

dis adornandisqve jugiter incumbentes, (ne forsan aliqvot historiæ momenta scitu dignissima prætermitterent) qvis ei pater juxtà ac mater fuerit, investigasse. Certa res est præthereà priscos Græciæ sapientes Νοῦν, τοῦ κόσμου θεόν. i. e. *mentem, mundi Deum* vocasse. Cui tanqvam *Deo* optimo maximo *Thales*, *Anaxagoras*, *Plato* aliiqve multi, tam qvi eos longè antecesserunt, qvàm qvi posterâ ætate secuti sunt, cœli ac terræ creationem simul ac imperium dabant. *(a)* Mens, inqviunt, rebus omnibus olim (puta in *Chao*; vel, ut utar phrasi Mosaicâ, in *Tohu* & *Bohu*) qviescentibus motum dedit; confusas ab invicem separavit; & lucem discussis undiqve tenebris intulit: ut liqvidò constet *Græcos* eum ipsum idiomate suo dixisse Νοῦν; qvem *Moses* suô vocavit רוח rúah. i. e. *Spiritum*. Qvi, ut ait, *incubabat (b) aqvis*; ornatum-

(a) Vide qvid affatim hac de re collegit Steuchus Eugubinus in perenni philosophiâ.

Gen. 1. 2.

(b) Vox מרחפת merachépeth, *qvâ* hagiographus *hîc utitur*, *propriè* incubitum columbæ super ovis *significat*. *Et hinc, ut arbitror, Antiqvi suum* πρωτόγονον ὠὸν, *i. e.* primigenium (*qvod vocant*) ovum *finxerunt*: *de qvo multa eaqve mira prædicant* Orphicorum *mysteriorum Epoptæ*. Ovum nempè rerum generationis initium dedisse. *Unde* Plutarchus Ὀρφικὸς καὶ ἱερὸς λόγος οὐκ ὄρνιθος μόνον τὸ ᾠὸν ἀποφαίνει

tumqve cœlestem, qvi propriè κόσμος dicitur, instruebat: qvod ipsum *Græci* de illo, qvem vocant Νοῦν, prædicant: ipsumqve idcircò Δημιουργὸν nuncupant. Deniqve pro comperto habemus, *Græcos* ex Hebræis nominibus, in N desinentibus, accusativos suos efformâsse. Ut ex כהן *cohen*, Κόης Κόην: (c) ex כנען *Chanaan*, Χνᾶ Χνᾶν; ex יונתן *Jonathan*, Ἰωνάθης Ἰωνάθην, &c.

(c) Κόης ἱερεὺς Καβείρων. *Hesych.*

Græci igitur (ut ad rem ipsam perveniam) postqvam נון i. e. Νοῦν (qvod ipsis *supremi Dei* nomen erat; qvodqve pro vernaculo more in nominativo Νοῦς, in accusativo Νοῦν reddebant) *Josuæ* patrem fuisse

ἀποφαίνει πρεσβύτερον, ἀλλὰ καὶ συλλήβδην ἅπασαν αὐτῷ τὴν ἀπάντων ὁμοῦ πρεσβυγένειαν ἀνατίθησι. *i. e.* Orphica & sacra oratio, non modò gallinâ antiqvius facit ovum; sed & ei omnium in universum rerum principium ac ortum tribuit. *Adhæc* Orpheus *apud* Athenagoram *mentionem facit ingentis* ovi *qvod in duas partes olim dissiluit*, Cœlum *nempe* & Terram. *Qvid aliud igitur per* ovum *illud primigenium significari putemus, qvàm rudem istam molem*—qvam dixêre Chaos; *cui Spiritus Dei incubuit*, & *universum, qvem intuemur,* κόσμον *exclusit. Usqve adeò ut non modò* omnia animalia, etiam vivipara, homines, atqve plantæ (*qvod sagacissimo* Naturæ consulto, *Clarissimo* Harveo *placuit*) *sed* & Mundus *ipse velut ex* Ovo *procrearetur.*

fuisse comperissent; *Apollinem* citò *Jovis*. i. e. summi Dei filium prædicabant. Hinc illi *Jupiter est genitor*: ut de seipso gloriatur apud Ovidium. Et obiter existimo, qvia νȣ̃ς etiam græcè *mentem* sonat, exinde fabularum (qvicunqve fuerint,) Architecti, *Apollinem*, utpote *mentis filium*, artium ac scientiarum *præsidem* renuntiabant: eò qvòd illa *operatio*, qvâ scientias acqvirimus, sit qvædam qvasi *mentis filia*.

Demùm qvia de Josuæ *matre* ne verbum qvidem scriptis mandatum sit, adeò ut qvænam fuerit, etiam peritissimi nesciverint; hinc ei mater Λητώ. i. e. *Latona* (qvæ ita dicitur qvasi Ληθώ esset, ut ait Plato, *à latendo & inscitiâ*) fingebatur.

ΠΑΙΑΝ

ΠΑΙΑΝ HYMNUS HEBRAICUS.

CAP. VI.

Παιὰν hymnus Hebraicus. Pæanis certamen *omnium, qvæ in* Pythiis *erant, antiqvissimum.* Παιὰν *hymnus* Apollini *proprius.* Ejus *προαναφώνησις erat* ἐλελεῦ ἰή, *i. e.* הללו יה hallelu-jah. ἐλελεῦ ἰή, Pæanis *hymni character.* Apollo ἐλελεὺς, *&* ἰήϊος *unde dictus.* Aspirationes *in medio & fine dictionum* Græci *non admittunt. Inde* יה Iah *in* Ἰή, *vel* Ἰά; *&* יהוה Jehovah *in* Ἰου *vertebant.* Nomen ἀνεκφώνητον *qvid.* Hallelu-jah *cur in* Pæane, *qvam minimâ immutatione factâ, retinebatur.* ἐλελεῦ *tandem fit* perturbationis *signum*; & à Pæane *rejicitur.* ἐλελεῦ *exclamatio bellica.* Apollo Ἀμοίβης.

Apollini multis retrò hinc seculis ementito atqve larvato, personam detraximus. Pythonem *Serpentem* veteri illâ, qvâ tectus erat, fabularum pelle exuimus: & unde *victor* ille, *victusqve*, qvos

 ita

ita prædicant, oriundi fuerint, digitô in fontes intentô, eruimus expandimusqve. Restat adhuc ut luculenter ostenderem, tum primum ac præcipuum *in Pythiis* certamen; tum celebre illud *brabium* qvod in *victorem* conferre moris erat, *è Josuæ historiâ* suam duxisse originem. Qvod si confectum dedero, certô certius erit *Græcos* insignem *Pythicæ* celebritatis occasionem, præcipuamqve illius pompæ materiam, vel à *Phœnicibus* vel à *sacris literis* accepisse. Non de aliis certè, (meâ qvidem sententiâ) qvàm de Apolline, Delphico (ut vocant) numine, verius hæc efferantur: περὶ τοῦ βιβλίου τοῦ νόμου ἐξηρεύνων τὰ ἔθνη τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν. (a) *ex libro* legis *scrutabantur* Gentes *similitudines Idolorum suorum.* Hinc enim, ad Deorum suorum cultum, *nomina* religione ac antiqvitate *sacrata* desumpserunt: hinc *dies festos*, *ritus*, *cæremonias*, nec non & *res gestas* pleraśqve delibârunt.

(a) 1. *Machabbæor.* cap. III. *comm.* 48.

Sed (ut ad id, qvod institueram, revertar) refert *Pausanias* in Phocaicis *primum* omnium ac *præcipuum certamen* in Pythiis eorum fuisse, qui in *Apollinis honorem* Παιᾶνα canerent. Qvippe ut Δίδυ-

ἔσμβος, *Baccho*; *Dianæ* Ὕπιγγος; Ἴουλος, *Cereri*; ita Παιὰν, *Apollini* proprius fuit. *(b)* Et primitùs in ejus laudem solummodò concinnabatur.

At ante *Paana* solennis ea προαναφώνησις nempè τὸ ἐλελεῦ proferri solet. *(c)* Cui addebant Ἰὴ Ἰή. vel Ἰοὺ Ἰού, ut *Plutarchus* in Theseo testatur his verbis: ἐλελεῦ Ἰοὺ Ἰοὺ ἀναφωνεῖν οἱ παιωνίζοντες εἰώθασι. *Solent ii, qvi Paanas canunt, exclamare* ἐλελεῦ Ἰοὺ Ἰού. Qvid aliud verò fuisse in initio, τὸ ἐλελεῦ ἰού, vel τὸ ἐλελεῦ ἰή putemus, qvàm Hebræorum הללו יה *halleluh-jah.* Qvâ qvidem verborum formulâ sæpiùs in hymnis suis uti solent *Hebræi*: in *principio*, ut exhortentur; in *fine*, ut accinant & acclament. Græcis itidem τὸ ἐλελεῦ ἰὴ est tam *Paanismi* προαναφώνησις. i. e. *exhortatio*; qvàm ἐπῳδὸς & ἐφύμνιον. i. e. *canticum*, *qvod hymno succinitur.* *(d)*

At qvia ἐλελεῦ ἰοὺ vel ἐλελεῦ ἰὴ *Paanas* semper (ut ex *Plutarchi Theseo*, & ex *Athenao*, invicem collatis, intelligas) ingredi, eosqve aliis ab hymnis distingvere solerent; inde natum reor, ut *Apolla* ἐλελεῦς, *(e)* & ἰήϊος appellatus sit. Græci ergo prout ex Hebræorum *gestis*, sibi fin-

(b) *Vide Polluc. l.* 1. c. 1. & *Eustath. in Iliad.*

(c) ἐλελεῦ, προαναφώνησις Παιανισμοῦ. *Hesychius.*

(d) *Vide Eustath. in Iliad. pag.* 1147. & *Schol. in Aristoph.* εἰρήνῃ *p.* 654.

(e) *Vide sis Grammaticorum nugas hoc de vocabulo apud Macrobium in Sat. l.* 1. c. XVII.

finxerunt *Deum victorem*; ita ex eorum *hymnis* ἐπινίκιον accommodârunt. Qvamvis enim non liqvet, attamen à fide prorsus alienum non est, *Hebræos* olim, cùm *Cananæos* & *Ogum* (qvem fabulæ omnes ferè, qvæ *de Pythone* narrantur, ἐξαιρέτως spectant; &, ob rationem suprà dictam, *Serpentem* vocant) præliis fregissent; & internecioni, vel fugæ saltem dedissent omnes; ilicò *ducem* suum *militarem*, nempè *Josuam* (cujus auspiciis res adeò feliciter gerebantur) *laudibus* ac *hymnis* celebrasse. Ejusmodi verò hymnos (erant enim εὐχαριστήριοι) solenni illô ac verè sacrô *Epiphonemate*, הללו יה *hallelu-jah*, caruisse ullô modô credam? Absit: cùm Hebræorum hymni id ipsum sæpè repetitum habeant.

Phœnices ergo, qvi Græciam *Cadmi* ductu salutabant, *Josuæ* victoriam tunc recens partam sermonibus suis indies versabant; & epiniciales qvosdam hymnos eâ de re compositos unà recinebant. Græci protinùs *Josuam* mirari, canere, mox etiam venerari cœperunt. Has meas fateor esse conjecturas; obvias attamen; & qvæ ab invitis, etiamsi non extorqveant fidem, penè eliciant; nec sta-

tim rejici conjecturæ tutò possint, ne veritatis dispendiô fiat. Porrò igitur *cantus* illos & *numeros*, (qvicunqve fuerint) qvi in Josuæ laudem concinnabantur, Græci statim vernaculô suô idiomate donabant; qvadantenus immutabant; & tandem præ fabulis & Ethnicismo planè corrumpebant: Ut jam vix ulla eorum deprehendantur. Solum τὸ *Hallelu-jah*, qvod notabilior hymnorum pars erat, incorruptum mansit: non immutatum tamen. Nam הללו יה *hallelu-jah* convertebantur in ἐλελεῦ ἰὴ vel ἐλελεῦ ἰά: (ita enim primitùs acclamatum censeo) qvod ad *hallelu-jah* qvàm proximè accedit. *Iah* autem græcè ἰὰ reddi constat ex Hesychio; apud qvem ἰά, τὸν θεὸν σημαίνει καθ' Ἑβραίους.) & הללו יהוה i. e. *hallelu-Jehovah*, in ἐλελεῦ Ἰού. Qvippe inter ἰὴ & ἰοὺ id interest solummodò, qvod inter *Jah* & *Jehovah*, qvod in ἰοὺ facillimè contrahitur: Nec aliter à Græcis scribi aut proferri potuit. Græci namqve præterqvàm qvòd v consonantem vix admittant, aspirationes in medio fineqve dictionis exprimere neqvaqvam valeant. Ex qvo *nomen illud* Veteres ἀνεκφώνητον appellabant. Non qvia simpliciter efferri

non potuit. (Non enim verisimile est, inqvit, vir doctissimus, (f) Judæos olim; perinde ac Romanos, (g) occultasse nomen Dei in cujus tutela essent, ne ab hostibus evocatus aliò commigraret.) Sed qvòd à vernacula Græcæ Lingvæ pronuntiatione penitùs abhorruit.

(f) Fullerus in miscell. p. 24.
(g) Vide Plin. l. XXVIII. cap. VI.

Nec veteres Græci ἐλελεῦ ἰὴ, vel ἐλελεῦ ἰὰ dixissent, modò potuisset hallelujah ab ipsis integrè incorruptéqve pronuntiari. Qvippe qvia τὸ hallelu-jah (qvod sæpius in eadem cantilena repeti audiverant) tanqvam divinum qvoddam Epiphonema, vel (ut anglicè dicam) **burthen of the Song**, religiosè suspiciebant: ideoqve, qvantum fieri potuit, integrum immutatumqve retinebant ac tuebantur.

Hoc iis, inqvam, semper in consilio fuit, qvi, qvis Apollo reverà fuerit; qvot & qvanta gesserit; qvæ Pæanis origo, & qvis usus extiterit; & demum qvid ἐλελεῦ ἰὴ significarit; optimè intelligebant.

Harum autem rerum notitiam puram putam servare diu non sustinuit Græcia: multa sciens amisit; plurima (qvòd solens more suo fecit) innovavit; & fabulas etiam qvibus adstrueret sua commen-

ta,

ta, subornavit, adeò ut nova qvasi historia condi videretur. Hinc igitur Græci posteriores, qvi, ob alienam hanc rerum faciem, qvid ἐλελεῦ, & ἰὴ reverâ fuerint, ignorabant; τὸ ἐλελεῦ prorsus ἐπίφθεγμα θρηνῶδες. i. e. *lamentabilem exclamationem* fuisse conjiciunt. Unde *Plutarchus in Theseo* ἐλελεῦ, ἐκπλήξεως καὶ ταραχῆς ἐστί. *i. e.* ἐλελεῦ *consternationis signum est.* Et ex eo ἐλελίζεσθαι est *deflere, clamando* ἐλελεῦ. Hæc autem Græci, prout opinari liceat, ita statuebant, qvia vocem illam (nam verba omnia, qvæ usucapione, si ita loqvar, tenent, à Græco aliqvo themate deducere per qvàm ineptè satagunt) non aliunde derivarent, qvàm ab ὀλολύζειν qvod est *ejulare.*

His ita conceptis, ἐλελεῦ tandem, velut incongruum lætæ *Pæanis* occasioni, rejiciebant; & Ἰὴ Παιάν, Ἰὴ Παιὰν duntaxat acclamare solent. Alii verò τὸ ἐλελεῦ (proculdubio qvoniam id *exhortativum* esse, atque olim in *Epinicialibus hymnis* usitatum subintellexerant) ἐπίφθεγμα πολεμικὸν (h) i. e. *exhortationem bellicam* fuisse volunt; qvâ milites in aciem ruentes, se invicem accendere, atqve incitare consveverunt. Unde *Achæus Eretrien-*

(h) *Vide Suidam.*

trien-

triensis in Philoctete inducit *Agamemnonem Achais* ita præcipientem:

> Ὥρα βοηθεῖν ἐστίν· ἐγὼ δ' ἡγήσομαι·
> Προσλαβέτω τις χεῖρα φασγάνου λαβῆς,
> Σάλπιγγι δ' ἄλλος ὡς τάχος σημαινέτω·
> Ὥρα ταχύνειν. ἐλελεῦ. i. e.
> *Tempus est opem ferre, ego verò dux ero;*
> *Corripiat quis manu gladii manubrium:*
> *Tuba verò alius qvàm celerrimè det signum:*
> *Tempus est accelerare.* ἐλελεῦ.

Nec tamen de ἐλελεῦ magis, qvàm de Ἰὴ & Παιὰν ineptire solent. Ἰὴ enim ἀπὸ τοῦ ἱέναι *ab immittendo*; & Παιὰν ἀπὸ τοῦ παίειν *à feriendo*, vel ἀπὸ τοῦ παιδὸς *à puero* derivatum pronuntiant. Et ut Etymologiis hisce fidem facerent, hanc attexunt fabulam. (i) *Latona ad Delphos una cum Apolline, adhuc puerò, tendens, à terribili quodam serpente* Python *dictò, quò minus accederet, impedita fuit: Apollini ergo tetrum illud monstrum confodere gestienti mater accendebat animum, clamando* ἵει, παῖε, immitte, feri: *vel* ἵε παῖ, mitte fili. *Ex quo*, inqviunt, Παιὰν vel Παιὼν *appellatus fuit.* Vanissima sanè commenta *dare pondus idonea fumô*: Qvæ vel ipsi Græci, dum rem aliter atqve aliter enarrant, falsi arguunt: Nam

(i) *Apud* Clearchum Solensem, *Aristotelis discipulum (in l. 1. proverb.)* *quem citat* Scaligerus *in Poët. l. 1. c.* LXXXIX.

si alios

si alios consulas, *Apollinem* tradunt; posteaqvam *a Pane* vaticinandi arte satis instructus erat, *ad Delphos* venisse; ubi *Nox* primò, mox *Terra* posteà *Themis* responsa dabat: Tunc autem temporis cùm eò profectus fuerit Apollo, qvidam, cui *Pytho* nomen erat, ibidem præses fuit; qvô cæsô, protinùs ipse *Oraculi* potitus est.

Sin aliis credamus, Apollo *Delphos* non vi & armis, sed contractu sibi comparabat. Qvippe cùm *Apollo*, ut ajunt, in *Calabria*, *Neptunus* autem *Delphis* esset cultus: loca tandem factâ sponsione commutabant. Inde *Apollo* apud *Lycophronem* Ἀμείβης appellatus est. Sic fabula fabulæ dicam impegit.

Ratum sit igitur τὸ ἰελελεῦ ἰὴ vel ἰελελεῦ ἰα ipsissimum *hallelu-jah* fuisse; & παιανικὴν ᾠδὴν nihil aliud extitisse in principio, qvàm *Hebraicum qvendam hymnum Paanis* hoc est, *Josuæ laudes & victorias de Cananæis, atqve Ogo præcipuè, relatas celebrantem.* Hunc enim *Græci* primò tanqvàm *ducem strenuum* ac *heroicum* laudibus in cœlos efferebant: posteà verò tanqvam *Deum* (usqve adeò officiosa res est superstitio) cultu atqve veneratione proseqvebantur.

PY-

PYTHIONICARUM BRABIUM QUID, ET UNDE.

CAP. VII.

Pythionicæ brabium qvid, & unde: Istero *poma*. Archiæ μῆλα. Ausonii *sententia refellitur*. Pythia *celebrata in sexto die mensis* Bysii: Βύσιος *idem* Delphis, qvi Θαργηλιὼν Athenis. Pythionicarum *præmia* malo-granata. *Mons* Cassius *Ægyptum Syriamqve disterminat: ideoqve* קציר Cassi. *i. e.* Terminalis *dictus*. Jupiter Casius *in extensa manu ferebat* malum punicum. *Ejus* mysterium. Caphthor. *i. e. malo-granatum* Palæstinorum *insigne*. *Jupiter Casius à Gazæis & Palæstinis appellatus erat, vel* Dagon, *vel* Marnas. *Jupiter* Cretensis *&* Marnas *idem*. Cretenses *à* Gazæis *vel* Palæstinis *oriundi. vid. annot. ad f. Qvomodò* Gazæ *&* Casii *montis expugnatio*, Josuæ; *& Populi* Israëlitici *ad* Hierosolyma *deductio*, Mósi *tribuatur. v. notas ad. g.* Malo-grana-

tum cur illi, qvi Pæane *canendo victor erat, brabium aptissimum.*

Josuam in *Deorum* album vix retulerat *Græcia*, qvin & festos dies sanxit; cultus vovit; &, ut sacrâ hymnorum melodiâ jugis illi ferretur honos, edixit. Adhæc ne *Paanum* religio (qvippe *hymnos* in ejus honorem factos, ab ipso *Paanas* vocabant) unqvam fatisceret, *cantu-certamen* erexit: eosqve affecit præmiis qvi παιανίζοντες excellebant. Primùm etenim certamen *in Pythiis* (ut suprà dictum est) eorum fuit, qvi Παιᾶνα canerent.

Posteà verò, nec longô, reor, intervallô, alios etiam, pompæ magis qvàm pietatis ergo, ludos instituit. Qvorum genera qvædam complexa videas istô pentametrô.

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Brabia verò seu præmia qvæ dari solebant victoribus, fuerunt *poma qvædam*, *Deo consecrata.* Ut *Ister* in libro de *coronis (a)* tradit. Cui astipulatur *Archias* Poëta in hoc Epigrammate.

(a) *Hunc citat* Nat. *Com. in mythol. l.* v. *c.* 11.

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροὶ

Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα πίτυς.

Qvod inter ludendum transtuli ad hunc modum.

Qvatuor annumerat sacratos Græcia ludos,
Sunt duo Terricolûm, Cœlicolûmqve duo.
Nempè *Jovis*, *Phœbiqve*, *Palæmonis*, *Archemoriqve*
Pinus, *olivaster*, *præmia*, poma, *apium*,

Μῆλα sanè potissimùm sunt τῆς μηλέας. i. e. *fraxini*; communiter autem παντὸς δένδρου καρπός. i. e. *cujuslibet arboris fructus.* Hesychius. Cujus idcircò generis essent ea *poma*, qvæ tantò *Pythionicis* honori ac præmiô fuerunt, hactenus incompertum. Propiùs à veritate forsan abfuit *Ausonius*, qvi *lauream cum baccis* Pythionicæ brabium fuisse statuit. Qvippe qvòd laurus *Delphica*, teste Pliniô, *(b)* baccis adeò enormibus onusta fuit, ut optimè præ se ferrent pomorum speciem. Veruntamen Ausonianæ sententiæ refragatur anni tempus. Pythia namqve sextâ mensis Θαργηλιῶνος, ut apud *Athenienses* appellatur;

(b) *Nat. hist. l.* xv.

latur;

latur; Βυσίυ, ut apud *Delphos*; celebrari solent. Mensis autem *Bysius* partim cum *Aprili* Romanorum, partim cum *Majo* coincidit. Qvô qvidem tempore laurus ferre baccas non potuit. Qvum in mense *Bysio* ver apud Græcos incipit, ut mihi testis est *Plutarchus*. *(c)* Qvocirca cùm res adhuc obscura sit, (qvippe nihil hactenus à qvopiam dictum, qvod non in disceptationem cadat) si cui volupe fuerit aliter opinari, venia dabitur, & argumentum. Ipse qvidem, si mihi qvoqve liceret *in acervos Mercurii* lapidem mittere; hoc est, doctis aliorum sententiis meam subjungere; verecundiùs assererem μῆλα sive *poma*, qvæ olim Pæane canendo Victori præmia dabantur, fuisse ῥοιάς. i. e. *malo-granata*, vel *mala Punica*. Hanc autem meæ sententiæ rationem reddo: hæc fundamenta jacio.

(c) *In qvæstion. Græcis: qvæst. 9.*

In monte *Casio*, qvi (teste Herodotô in l. III.) *Syriam* ab *Ægypto* dividit, delubrum fuit *Jovis Casii*, i. e. *Terminalis*: Syris enim קצי *Cassi* est *Terminalis*. Ut observavit vir undeqvaqve doctissimus *Sam. Bochartus*, l. IV. Geog. sacr. c. XXXII.

Porrò *Casius* ille *Jupiter* ita pingebatur, ut in extensa manu ferre *malum pu-*

nicum videretur: idqve non sine mysterio. De illo enim *Achilles Tatius*. lib. III. ad hunc modum loqvitur: προβέβληται δὲ τὴν χεῖρα καὶ ῥοιὰν ἔχει ἐπ' αὐτῇ. τῆς δὲ ῥοιᾶς ὁ λόγος μυστικός. i. e. *habet extensam manum, & in ea malum punicum: mali autem punici ratio mystica est.* Qvid aliud verò mysterii subesse judicemus, qvàm qvòd Deus iste terminos *Syriæ* custodiebat; & qvòdam peculiari modò *Palæstinam* qvam *Caphthoræi* pridem, pulsis *Awæis*, (e) occupârant, propugnabat & tuebatur. *Caphthoræi* autem sic dicti, qvia eorum *Insigne* fuit קפתור *Caphthor* i. e. *malum Punicum.* Qvale qvid in extensa manu præ se ferebat *Casius* ille *Deus*; ut se à *Caphthoræis* vel *Palæstinis* stare significaret. (f) Qvæ cùm ita se habuerint

(e) Deut. cap. II. com. 23.

(f) *Si* Palæstinæ *tutelaris Deus fuerit* Jupiter Casius; *optimô jure qværas; qvod illi apud* Philistæos *olim nomen erat? de qvo prorsus expressè, qvod memini; nihil occurrit. Perqvàm verisimile tamen, eum à Palæstinis vocatum fuisse, vel* Dagon; *qvi qvoniam* frumenti & aratri *auctor fuit.* Philistæis (*à* דגן dagan. *i. e. frumentum*) Dagon. Græcis *autem* Ζεὺς Ἀρότριος. *i. e.* Jupiter Agriculturæ præses, *dictus est. teste* Phil. Biblio: *vid. doctissimi* Seldeni *syntagma.* II. *de* Dis Syris, & Bocharti *lib. de* Phœnicum *coloniis*, pag. 784. *Hunc* Sanconiathon, *ex* Phœnicum *theologia*

buerint; rem omnem paucis expediam: Qvamprimum *Josua* & Israëlitæ debellâssent *Ogum*; Cananæos undiqve devicissent; & protensis ad *Casium* montem

us-

logia tradit esse Cœli & Terræ *filium*; *non* Aquæ: *Quo minus* piscem (*qvod multi volunt*) *fuisse credas.*

Vel Marnas; *qvod vero magis simile est.* Marnas *enim* Gazæorum *Deus: Est autem* Gaza *urbs Palæstinorum maximè propinqua* Casio *monti: Quæ ditiones suas adeò extendebat olim, ut* Gazæi (*teste* Strabone lib. XVI.) *perinde ac* Judæi, ἐθνᾶς *i. e.* gentis *nomen acqvisiverint. ideoqve tum Mons* Casius, *tum* Jupiter *ille* (*qvi, cùm* Palæstinorum *insigne præ se tulerit, montem ipsum* Palæstinis *subditum probat*) *eorum fuisse judicandi sunt.* Marnas *autem* (*teste* Cl. Seldenô, *in cap.* I. *Syntag.* II. *de Dis Syris*) *est* dominus hominum *Syriacè. Non secus ac* Jupiter *à Græcis* πατὴρ ἀνδρῶν *i. e.* dominus virorum *dicitur*; πατὴρ *enim sæpè* dominum *notat. Ut non mirum, si* Marnas *idem qvi* Jupiter, *immò* Cretensis, *censeatur. Non qvod à* Cretensibus Gazæi Μαρνᾶν; *ut voluit* Stephanus *in voce* Γάζα: *sed qvod à* Gazæis, *seu* Philistæis *Jovem suum* Cretenses *acceperant. Nec Gazæi Cretensibus,* (*ut Stephano placuit*) *sed* Cretenses *à* Gazæis *seu* Palæstinis *oriundi. Qvod vel ex Insulæ nomine perspicuum fiat. Qvippe qvia* قريتا Kerita *Arabibus est* Palæstinæ *regio; Illa ipsis Syris* Creth; *Incolæ Hebræis* Crethi *vel* Crethim *dicuntur. Unde* Creta & Cretenses. *Juxta Cl. Bochartum de Phœn. col. p.* 457. *In summa ergò* Casium *Jovem* (*qvi & Cretensis fuit*) *à* Palæstinis, *saltem* Gazæis, Marnam *vocari consentaneum est.*

usqve victoriis; (g) *Jovem* Syriæ ac Palestinæ *tutelarem Deum* ceperant; pro tantæ victoriæ præmio *malum Punicum* (qvod *Jovis* extensa manus qvasi obtulit vincenti) reportare videbantur. Hinc igitur *Græci*, (qvi obnixè contendebant omnia, qvoad fieri potuit, ad *Josuæ* historiam adaptare) *Pythionicarum præmia* desumpserunt.

Et sanè, cùm *Pæan* hymnus esset adornatus in laudem *Josuæ*, qvi *Pythonem*, i. e. *Ogum* vicerat; Syriæ *Propugnatorem* qvasi captivum duxerat; adeoqve *malogranatum* nactus erat; nullum præmii genus illi, qvi in *Pæanis certamine* victor esset,

(g) *Qvippe* Gazam *cum termino suo ceperunt: &* montem (*scilicet* Casium) *possederunt. Judic. cap.* 1. *comm.* 18. *Qvæ qvamvis à filiis* Judæ, *mortuô Josuâ, patrata fuerint; Josuæ tamen attribuantur: eâdem ratione, qvâ videmus* Hebronem *atqve* Debirum, *civitates à* Juda *captas*, *Josuæ victoriis inseri. Res enim strenuè atqve feliciter gestæ, in eum sæpiùs inferri solent; cujus auspiciis & ducatu incæptæ erant; etiamsi forsan è vita priùs excesserit, qvàm confectas dederit. Sic* Mosi *tribuitur* populi Israëlitici *deductio* ἐπὶ τὸν τόπον τοῦτον, ὅπου νῦν ἐστὶ τὸ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις κτίσμα; i. e. *ad ea loca ubi nunc condita sunt* Hierosolyma. *Strabo. l.* XVI. *qvod tamen, ipsô aliqvot annos mortuô, peragebatur.*

esset, *granato* aptius & accommodatius esse potuit.

Ad summam ergo statuendum, *Isteri poma* fuisse *malo-granata* sive *mala Punica*, *Deo* (ut inqvit) *consecrata:* Primò *Jovi Casio*, pòst *Apollini*.

Hæc, inqvam, fuerunt prisca illa & primitiva munera. Posteà verò, versâ in fabulas historiâ, multa qvotidiè immutari, nova induci; & modò Victores *Esculo*, modò *lauru* & *palmâ* coronari; mox etiam *tripodibus aneis* donari moris erat.



PYTHICA PERIODUS SEPTENNIS UNDE.

CAP. VIII.

Pythica periodus ſeptennis unde: *Cur Pythia ab* Apolline *ſeptimô die ab occiſo* Pythone *inſtituta dicuntur.* Annus, *in qvo* Joſua *victorias ſuas conſummabat*, ſeptenarius. *Pythica periodus ἐννεατηρική. & tandem πενταετηρική.*

Poſtqvam *Joſua* Amorrhæos & *Ogum* (qvi ſibi vi & armis obviam îſſent) expugnaſſet, vero pluſqvam ſimile eſt eum proximô ſubinde Sabbathô gratias Deo maximas & ſolemnes egiſſe; ac epinicialibus hymnis ſuam populiqve Iſraëlitici victoriam celebrâſſe. Græci igitur (qvi rem omnem à *Phœnicibus* unà ac *Hebræis* * ſciebant) Judæorum *Sabbatum*, in qvo primùm facta erat ſolemnis ea ac religioſiſſima Victoriæ recordatio, ſpectantes, *Apollinem* ſeptimô ſtatim die ab occiſo Pythone, *Feſtum Pythicum* inſtituiſſe fabulantur, ἀποκτείνας τὸν ὄφιν τὸν

* *Vide cap. ultimum.*

Πυ-

Πυθῶνα, ἠγωνίζετο πυθικὸν ἀγῶνα καθ' ἑβδόμην ἡμέραν, i. e. *Apollo cùm interfecisset Pythonem serpentem, septimô die Pythicum certamen inibat.* Schol. *Pindari* in prolegom. *ad Pythia.* Et primò qvidem *Pythia* epiniciali qvôdam hymnô duntaxat, qvem Παιᾶνα vocabant, haut sumptuosè peragebantur: mox autem alia qvamplurima addebantur vel pietatis, vel pompæ, vel exercitii gratiâ: qvæ ut negotia maxima facesserent, ita & impendia mirificè augerent. Adeò ut tantæ jam festivitatis apparatum septimô qvôqve die renovari, nec ærarii publici, nec temporis angustiæ paterentur. Ideoqve ut sumptibus parcerent & pompæ nihilominus ac religioni satisfacerent, ad *Sabbaticum annum* potius alludebant: & *Pythia* deinceps septimô qvôlibet annô celebranda curabant; *(a)* eoqve magis; qvòd ille *annus*, in qvo *Josua* post *Pythonem*, i. e. *Ogum* & *Anacaos* undiqve victos, terramqve universè captam; *(b)* ad *Schiluntem* (ubi seculis aliqvot *Dei Oracula* dabantur) pervenerat, fuit *Septenarius*, *(c)* Huc accedit etiam qvòd *Josua* posteaqvam *sex annos* in hostibus suis debellandis exantlaverat, in *septimo*

(a) Vide Erasmi Schmidii *proleg. ad Pind. Pyth.*

(b) Jos. cap. 11. *comm.* 22. *&* 23.

(c) Vide Scalig. *de emend.* Temporum. *De primò anno Sabbatico.*

triumphos absolutos egit; Et κληρουχίαν instituit. Qvod expressè habet *Eutychius Patriarcha Alexandrinus* (*d*) in his verbis:

(*d*) *In Annalibus, pag.* 116. *edit.* Oxoniens.

اقام يوشع ست سنين يقاتل الملوك
والامم حتي فتح وملك البلدان
:. ثم بعد ذلك اقام يقسم
الاراضي والبلدان علي بني اسر
ايبل اربعة عشر سنة ودبر الشعب
احد عشر سنة في هدو وسلامة

i. e. *occupatus fuit* Josua *sex annis in regibus & gentibus debellandis, donec regiones cepisset: deinde partiendis inter Israëlitas terris qvatuordecim annos insumpsit, & præterea populum in tranqvillitate ac pace annis undecim rexit.* Hæc, inqvam, vetustiores Græci cùm ob oculos habuissent, *Pythia* qvôqve septimô qvôlibet annô celebranda sanciebant. Posteà tamen (nam citò mutant & corrumpunt omnia fabulæ) *Nympharum Parnassiarum* i. e. *Musarum* gratiâ, qvas novem fuisse, & sua triumphanti *Apollini* munera gratulantes obtulisse fingunt, celebritatem hanc ἐννεαετηρικὴν fecerunt. Qvam ipsam qvoqve tandem (nescio qvô mutandi

geniô

geniô ducti) *πενταετηρικὴν*. i. e. *qvinqvennem* reddiderunt. Qvæ tamen revera fuit *τετραετηρὶς*. i. e. *qvadriennis:* qvia tantùm qvatuor annos solidos (ut vocant) complectebatur: planè ut Romanorum *Lustrum:* qvod etiam fuit qvatuor annorum completorum spacium. Freqventes attamen tam *Pythiadi* qvàm *Lustro* qvinqvennium damus; eò qvòd post qvatuor annos completos, in qvinto currente celebrarentur. Ideoqve *Pythias* ab aliqvibus haud ineptè *τετραπενταετηρὶς* dici solet. Hæc sanè *periodus* ultima omnium & celeberrima semper fuit, atqve non secùs ac *Olympias*, temporum *mensura* & *χαρακτὴρ* extitit.

ORIGO GRÆCORUM ORACULORUM.

CAP. IX.

Origo Græcorum Oraculorum. *Fabula de* columbis *fatidicis.* Noachus *in* Italiam *venit; &* Cethim, Etruriæ *μητρόπολιν*, *condidit. Inde* Italia *γῆ χέτιμ*: Itali *&* Romani, Κήτιοι, Javan *sive* Jon *ad* Atticam *appellebat: Unde* Attica, Ionia *dicta. Græci* Jaunes, *&* Iaones, Cyprus *&* Macedonia *γῆ χετιὶμ dictæ; unde.* Dodona, *civitas* Epiri, *a* Dodanim. Noachi *præcepta ad filios & nepotes.* Dodonæi *Jovis* Templum *qvid primitùs.* Jehovah & Ζεὺς *nomina ἰσοδυνάμα*: Jehovah *&* Jovis *eadem.* Græcorum Oraculorum *nonnulla primò* Patriarcharum Scholas *fuisse conjicitur.* Oracula *cur in* Bœotia *&* Phocide *tam freqventia.* Dodonæum Oraculum *omnium, qvæ apud Græcos*, antiqvissimum: *huic proximum* Delphicum. Πελειάδες *vox ambigua*; inde *nata fabula de* columbis *vaticinatricibus.* Parnassus *primò* Larnassus *dictus, qvasi*

quasi להר נחש *Lebarnabas.* i. e. mons augurii. *Postea autem Parnassus quasi* פרע נחש *Paramahas.* i. e. hiatus divinationum. *Non pauca de* naturalibus caussis Oraculi *Delphici.* Insignes *historia de* Engastrimythis. Oraculi *caussa* infernalis. Ob *sophista.* Ob Pythiam *per* obscœnas partes *intrabat:* & ex iis *responsa dabat.* Pythia *fuit de ista* Secta; *quam* Quakers *vocamus.* Antiqvitas *istius* Sectæ.

Templi *Delphici* ἐπιφάνεια; *unde.* Apollo *cur* Oraculo Delphico *præfectus.*

Apollo, ut ferunt, acriter olim cum *Pythone* conflixit, ut *ad Delphos* aditum sibi patefacere; nec non *Oraculi* præfecturam nancisci potuerit. Cujus etiam, victo *Pythone*, potitus est. Exigit idcirco similitudinis ratio, qvam qvidem integram ac consummatam dare gestit animus, clare ut demonstrarem, qvàm prope ad *Josuam* accessit hac in re *Apollo*: & qvodnam fuerit historiæ momentum, qvod *Apollinem* promovit ad *Oraculi Delphici* præfecturam. Sed prius qvàm istæc qvalia fuerunt, explicem;

non

non inconvenienter instituto, qvod suscepi; nec ingratè lectori, cui consulo, me facturum spero; si fusè, & qvâ potis sim, luculenter edissererem, qvæ fuerint apud *Græcos* antiqviora Oracula; qvibus orta initiis; & qvomodò in tantum numeri & honoris surrexerint. *Græci* prorsus ea de re consulti, vel obmutescunt penitùs; vel fabulas, & id genus nugas, effutiunt. Sed qvia *fabulæ* (ut inqvit Aristoteles *(a) ex mirandis constant*; adeò ut φιλόμυθος ὁ φιλόσοφος πῶς εἴη; i. e. *Philosophus amator fabularum qvodammodo sit*; ipsos prius, ut ut nugantes, audiamus.

(a) *Metaph. l.* 1. *cap.* 11.

Narrant igitur *Ægyptii (b)* duas olim *Sacerdotes* à Phœnicibus raptas ac divenditas, duo constituisse *Oracula*: unam, in Lybia *Hammonicum*; alteram, in Epiro *Dodonæum*. Asserunt autem *Dodonæi Antistites* geminas *ex Ægypto* columbas provolasse: qvarum una in *Lybiam* transiit; altera in *Epirum*: ubi in fago primùm conspecta, humanâ voce loqvuta est; & inter cætera mandabat, ut μαντεῖον extruerent: addebat qvoqve *Jovem* affuturum, ac sciscitantibus oracula redditurum.

(b) *Vide Herodot. in Euterpe.*

Alii

Alii verò duas olim *columbas* Oracula dediſſe volunt apud *Dodonam:* Qvarum hæc in *Lybiam*, illa ad *Delphos* avolavit. nugæ nugaciſſimæ! Res ipſa (qvam nunc altè repetam) ſic ſe habet: *Noa* filios prole numeroſiori adauctos, (cùm ſola *Palæſtina* * tantæ multitudini non ſuppeteret) ſeſe diſtribuiſſe, ſolum vertiſſe, atqve alios in alia loca demigrâſſe.

Semus in Syria manſit (c) *Chamus* in Ægyptum abiit. (d) *Noachus* ipſe (qvem *Janum*, *Vadimona*, *Gallum*, *Vertumnum*, *Xyſuthrum*, *Oenotrium*, *Ogygem*, *Deucalionem*, *Cœlum*, *Solem* & *Saturnum* vocant) cum filio ſuo Japeto in eam Regionem, qvæ nunc *Italia* dicitur, progreſſus eſt: (e) ubi civitatem (qvæ poſtea *Volterra* vocata fuit) extruxit; & *Cethim* nominavit. (f) Qvæ civitas, cùm primò fuerit *Etruriæ* caput & μετρόπολις, toti *Italiæ* poſteà nomen dedit. Unde Italia χέτιμ; & Itali Κήτιοι vel Κίτιοι. (g) Porrò *Noachus*, poſt aliqvot annos, *Japetum* filiis ac nepotibus ſuis præfecit: ipſe religionem curæ habuit, & agriculturam exercuit (h) *Japetus* igitur filios ſuos in varias regiones cum coloniis amandabat.

* *Vide caput ultimum.*

(c) *Vide Appendicem.*

(d) *Vide Append.*

(e) *Vide Appendicem ubi Noæ in Italiam adventus expreſsè narratur: ejuſqve cognomina, qvæ vides, omnia fuſiùs explicantur.*

(f) *Vide Append.*

(g) *Vide plura in Appendice.*

(h) *Vide Append.*

Ex

Ex his *Javan* sive *Jon* (ita enim vocalibus omissis legi potest *Hebræum* יון) ad eam Græciæ partem, qvam nunc *Atticam* vocamus, appulit; ibiqve sedes fixit, & religionem docuit. Unde *Plutarchus* (in tractatu qvi est adversus *Colotem*) hæc habet. Ἴων ὁ παλαιὸς Ἀθηναίους καθωσίωσε εὐχαῖς, καὶ ὄργοις, καὶ μαντεύμασι, καὶ φήμαις ἐμπαθεῖς, πρὸς τὰ θεῖα δι᾽ ἐλπίδων ἅμα καὶ φόβων καταστήσας i. e. *Jon* ille Antiqvus *Athenienses Diis consecravit, precibus, sacramentis, vaticiniis, eos ob spem & metum diis deditos obnoxiosqve reddens.* Attica igitur antiqvitus ab *Jone* vel *Javane* dicta fuit *Jonia.* & Incolæ, *Iones*: σημεῖον δὲ ἡ γὰρ Ἀττικὴ τὸ παλαιὸν Ἰωνία καὶ Ἰὰς ἐκαλεῖτο. καὶ ὁ ποιητὴς ὅταν φῇ

Ἔνθάδε Βοιωτοὶ καὶ Ἰάονες

τοὺς Ἀθηναίους λέγει. i. e. *cujus rei signum est* (inqvit Strabo Geog. lib. IX.) *qvod priscis temporibus* Attica *dicta fuit* Ionia & Ias. *Et cum Homerus ait*

Illic Bœotiqve & Iaones

Athenienses significat. Postea verò omnes Græci, *Iones* seu (ut Homero dicuntur) *Iaones* appellati fuerunt. πάντας τοὺς Ἕλληνας Ἰάονας οἱ βάρβαροι ἐκάλουν. i. e. *Barbari omnes Græcos* Ἰάονας *appellabant.*

Schol.

Schol. Ariſtophanis in Archarnan: Qvin & (qvo certior ſcias *Græcos* à *Iavane* prognatos) apud *Suidam* Ἰαῦνας, *Iaunes*; & apud Sacrum Scriptorem *Joelem* יְוָנִים (i) i. e. *Jevanim* dictos reperias.

(i) *Joëlis cap.* III. *com.* 6. *Qvin & Græcia* יָוָן *Javan dicitur Dan.* VIII. 21. *vide* Joſephi *Antiq. Jud. l.* I. *cap.* VII.

In ſumma *Iavan* Atticam gentem condebat: *Cethim* verò filius *Javanis* in eam inſulam trajecit, qvam ſuô & patriæ nomine *Cethim* vel *Chethimam* vocavit. Unde *Joſephus in Antiqvit. Judai.* lib. I. cap. VII. χέθιμος δὲ χέθιμα τὴν νῆσον ἔχεν· Κύπρος αὐτὴ νῦν καλεῖται. *Cethimus inſulam occupavit, tunc* Cethima, *nunc* Cyprus *dictam.* Ad hæc in *Macedoniam* colonias vel *Cethimus* ipſe duxit, vel ſaltem miſit. Ex qvo (ſi verè conjiciam) ipſa etiam γῆ χεττιμ. i. e. *terra Chetiim* vel *Cethimi* diceretur. Ut in I. Machabæorum c. I. v. I. hæc de *Chethimo* obiter. Dodanim prorſus alter *Javanis* filius in *Epirum* tranſiit: &, civitatem ſtruxit. Qvæ urbs, ut & tota *Epirus*, (k) ab ipſo *Dodonæ* nomen accepit. Qvam tamen *Græci*, ſemper ferè nugigeruli, à *Dodone Oceanitide Nympha*; vel à *Dodone* Jovis & Europæ *filio* nuncupatam tradunt. In hac Urbe *Dodanim* Templum, ſicuti par erat, exſtruebat, in qvo ὁμόφυλοι qvotqvot

(k) *Vide* Euſtath. *in Dionyſ. pag.* LXXI. & Ortelium *in Epiro.*

qvot

qvot & *πάροικοι* convenirent; tum ut *Deum* ritè colerent; tum ut hiſtoriam de Mundi *Origine* & *diluvio* diſcerent; & *Noæ* præcepta (qvæ benè beatéqve vivendi rationes edocebant) auribus atqve animis exciperent. Hæc enim Magnus *Vandimon Noa* filiis ac nepotibus ſuis

(*l*) *Vide Hetruſc. Antiqv. fragmenta ab Inghiramio edita.*

præcepiſſe fertur. (*l*) *Audite filii nepoteſqve mei verba mea; & auribus veſtris percipite qvæ pater veſter loqvitur vobis. Benedictus Deus, ante cujus conſpectum inveni gratiam, qvi me ex aqvis ereptum ad reparandum genus humanum (qvod, Deô iratô, pluviis imbribuſqve deletum eſt) ne qvod Deus fecerat penitùs periret, reſervavit. Vos igitur* maximo Eſari (*m*) *non ingrati, ipſum timete ſolum:* ei

(*m*) Æſar, *inqvit* Suetonius in Auguſto *Etruſcâ lingvâ* Deus *eſt* & *Αἴσοι, θεοὶ ὑπὸ τυῤῥηνῶν.* Heſychius. *Hæc igitur ex ſententia* Cl. Caſauboni *Græca vox eſt, Hetruſcâ terminatione formata: Nam αἶσα (inqvit ille) eſt* Fatum. *i. e.* Deus, *qvi fatorum auctor.* Æſar *autem, (qvod nomen hîc à* Noa, *qvi primus* Etruriam *incoluit, bis uſurpatum videmus) non Græcæ, pace tanti Viri, ſed Hebraicæ potiùs originis eſſe ſtatuatur.* Æſar *enim apud Hebræos olim proculdubio* creatorem *ſonabat: Qvam tamen ſignificationem, non inficeor,* in Hebræa lingva (*cujus ea pars ſolummodo, qvæ in S. S. Scriptura, velut in phylaxa, religioſiùs aſſervatur; ad nos pervenit: ut non modo verba complurima, ſed & multas vo-* cum

ei servite ex mentibus vestris, qvia dignus est, & qvia multa bona fecit vobis, & qvia Deus est. Si maximus Esar *fuerit semper vobis Deus nihil vobis deficiet. Ejus altare non polluatur. Animam fratris sui nullus exqvirat, sicut fecit Cainus: Sit inter vos vinculum, nec unqvam rumpatur. Vos civitatem hanc habetis, qvam in monte hoc ædificavi. Cùm hæc vobis non satis fuerit (nam vos multiplicari oportet) in eodem monte alias ædificare poteritis. Et si mons non fuerit satis, eligite loca salubria, in qvibus alias ædificare valeatis. Et si non fuerint inter vos dissensiones, omnia prospera succedent vobis. Qvi Deum non timet,*

cum significationes, qvas antiqvitùs habuit, Hebræa Lingva *jam desideret) penitùs amisit: In* Arabica *verò (qvæ Lingvæ Hebrææ ramus est, ejusqve optima sæpiùs interpres, & fidissima conservatrix) adhuc retinet. Qvippe* اسر Asara *est idem qvod* خلق Chalaca *i. e.* creavit. *ut* اسر اللة *Asara—llaho i. e.* creavit Deus. *vide Giggejum & Golium. Inde* اسر creator. *Nec dubitandum qvin Hebræum* אסר Æser *idipsum qvondam significavit. Eadem planè verba sunt* اسر & אסר. *Et reliqvis significationibus, qvæ in Sacris litteris occurrunt, æqvè fruuntur. In summa igitur* Maximus Æsar, *est Deus optimus* Maximus *cœli ac terræ* Creator.

met, & qvi à fratribus dissentit, ejiciatur à vobis; qvia discordia fratris omnia corrumpit. Nolite filii mei provocare Deum in fornicatione, in iniqvitate, & neqvitia. Sed reminiscimini Deum, qvi fecit vos, liberavit vos ab aqvis; & omnia propter vos creavit; vobis omnia subjecit. Deus bonos exaltat: impios disperdit: ipsum amate solum: & omnia in timore ejus facite: nam hæc facientes abundantiâ frumenti, vini, & olei replebimini: & filii fratrum vestrorum servient vobis: Regnum vestrum in secula manebit. Sacros ritus & ceremonias, & omnia, qvæ relinqvo vobis, custodite semper; eaqve filios vestros docete. Benedicat vobis Deus, & omni benedictione vos repleat: & citò Regem mittat qvi vos à potestate aliena eripiat. His, inqvam, Noæ præceptis ut obseqventer se gereret; & ut iis, qvæ ad Dei cultum, simul ac civilem societatem pertinebant, alios imbueret, Templum sive Sacellum qvoddam struxit: in qvo Deum religiosè, parentes reverenter, majores officiosè, æqvales humaniter observandos admonebat: Hîc igitur primò verum Deum *Jehovam* colebant: ejusqve nomen invocabant. Postea verò, cùm non modò religionem πα-

πολυπαρείδολον pessundedissent; sed & familiarem loqvendi modum penitùs immutâssent; nomen *Jehovah*, (qvod tunc à vernacula Græcæ lingvæ pronuntiatione prorsus abhorruit) in τὸ Ζεὺς convertebant: servatâ qvodammodò potestate vocabuli: Qvippe ut *Jehovah*; sic etiam Ζεὺς ab *essentia* & *vita* dicitur. Qvo nomine proculdubio prisci Græci eundem, qvem nos *Jehovam* colimus, intelligebant. Qvò spectat animadversio *Clementis Alexandrini* in ea verba, qvæ *D. Petro* sub concionis nomine tribuuntur: *Petrus* ajebat, τοῦτον τὸν θεὸν σέβεσθε μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας. i. e. *Hunc Deum veneramini, sed non sicut Græci.* Ad hæc *Clemens* Alexandrinus *Strom.* VI. μὴ τοίνυν, φησὶ, σέβεσθε, οὐκ εἶπεν, Θεὸν ὃν οἱ Ἕλληνες, ἀλλὰ μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας. τὸν τρόπον τῆς σεβήσεως ἐναλλάττων τοῦ Θεοῦ, οὐχὶ τὸν ἄλλον καταγγέλλων. i. e. *Non igitur dixit, ne veneramini Deum, qvem Græci; sed non sicut Græci. Modum cultus immutavit, haud alium Deum prædicavit.* Idem certè *Græcis* Ζεὺς, qvi *Latinis* est *Jovis:* (n) qvod nomen proculdubio ex *Jehovah*, Latinorum pronuntiatione corrupto, fiebat. Ut non inscitè *Varro* Jovem

(n) *Jovis apud Ennium, Varronem, Hyginum & alios in recto casu usurpatur*

vem

vem primò *Judæorum* Deum fuiſſe tradiderit.

Hinc ergo facilè credas eo ipſo in loco, in qvo *Dodanim* priùs *Eccleſiam* atqve *ſacellum* habuit, poſtea *Dodonæi Jovis Oraculum* (qvod tradunt (o) eſſe omnium, qvæ inter Græcos, antiqviſſimum) conſtitutum fuiſſe. Nec *Dodonæum* ſolummodò, ſed & alia Græcorum *Oracula* ſanctas in initio Patriarcharum, *Javanis* & *Dodanim* poſterorum, *ſcholas* fuiſſe veriſimile eſt. Satagebat enim neqviſſimus iſte Κακοδαίμων (nam re ſuâ peſſimâ interfuiſſe novit) ea imprimis loca, qvæ religione ſimul ac antiqvitate ſacrata erant, occupare: atqve in impietatis & impoſturæ domicilia convertere.

(o) *Vide* Herodotum *in* *Euterpe.*

Numen aliqvod ductu Naturæ qværunt omnes: *Ut ſi terras obeas* (inqvit Plutarchus in tract. qvi eſt adverſus Colotem) *invenire poſſis urbes muris, literis, regibus, domibus, opibus, nomiſmate carentes; gymnaſiorum ac theatrorum neſcias: Urbem verò templis Diiſqve carentem; qvæ precibus, jurejurandô, Oraculô non utatur, nemo unqvam vidit.*

Græci autem præ cæteris in ſuperſtitio-

tionem proni ruebant: & novos cultus arripiebant: ex relictis adhuc antiqvæ Theologiæ vestigiis sibi fingentes Deum. Ea igitur, qvaliacunqve figmenta, callidissimus iste superstitionis ac idololatriæ incentor ut animaret, Oracula *Dodonæ* per *Antistites*, per *Qvercus (p)* per *Lebetes* & Statuas *(q)* edebat. Hujusmodique miraculis & technis multos ilicò cultores alliciebat. Amplam hinc messem colligens, alia hîc illîc Oracula (validissimos Ethnicismi nervos) sevit: in *Phocide* præsertim atqve *Bœotia*; qvæ *Pythiæ*, *Castaliæ*, *Tegyræ*, *Lebadiæ*, *Tiresiæ*, *Amphiorai* aliisqve *Oraculis* inclaruerunt.

Qvippe Phocenses & *Bœotii*, Græcorum omnium maximè κλωώδεις καὶ ἀμαθεῖς *(r)* istius Sophistæ ludibrio toti patebant. Nec alios certè, qvibus illuderet faciliùs, adoriri potuit. Proximum igitur, post *Dodonæum* Oraculum, fuit *Parnassium* sive *Delphicum*: *(s)* qvod *Dodonæus* aliqvis *Antistes* primus instituit. Qvid aliud enim per *fatidicam* istam *columbam* qvæ *Dodonâ*, ut ajunt, advolabat *Delphos* intelligi putemus? hujus autem sanctimoniam (si diis placet)

(p) *De quibus Æschylus (in* Προμ. Δεσμ.) τέρας τ' ἄπιστον αἱ προσήγοροι δρύες.

(q) *Vide* Nonni Συναγ. ἱστορ. *ex secunda* Nazianz. *Invectiva.*

(r) *Vide* Tzetzem. *in Lycophronem.*

(s) Δελφοὶ ἐπὶ τῷ Παρνάσσῳ. *Stephanus* πρὸς τῷ Παρνάσσῳ *Strabo.*

& pietatem, *Græci*, qvi omnia ferè symbolis involvere studuerunt, posteris suis tradere se non posse judicabant aptiùs, qvàm per *columbæ* similitudinem: Qvæ cùm ab antiqvissimis sanè temporibus ob innocentiam simplicitatemqve Deo sacrata *(t)* fuerit; mystam rei divinæ faciendæ devotum pulchrâ atqve eleganti figurâ repræsentaret: Hæc ita statuere non veritus essem, nisi qvis potiùs Dodonæam qvandam Vatem, Πελειάδα dictam, significari per *columbam* vellet. Vel forsan ambiguitas vocis, Πελειάς (qvæ, *Thessalorum* lingvâ, tàm *feminam Vaticinatricem*, qvàm *columbam* sonat) fabulæ occasionem dedit. Illa autem, fraudum & versutiarum plena, *Delphos* pervenit: ibiqve μαντεῖον instituit, ut non Græciæ tantum sed & mundo imponeret. Nec eam fefellit eventus: citò enim per totum ferè terrarum orbem ita inclaruit istud Oraculum, ut vel remotissimos in admirationem cultumqve sui rapuerit. Eoqve tandem res rediit, ut ipse locus ab Oraculo *Larnassi* nomen adeptus sit, *Parnassus* etenim (mihi auctor est Stephanus de Urbibus) primò Λάρνασσος appellabatur. Non tamen (ut ille

(t) *Vide Gen.* XV. *comm.* 9.

ille vult) Διὰ τὸ τὴν Δευκαλίωνος λάρνακα αὐτόθι προσανηχθῆναι. *Eà quòd Deucalionis arca illuc adducta fuerit:* Sed ab הר har, *mons*; & נחש nachas sive nahas, *augurium* & *divinatio*: qvibus si literam ל (sive *prosthetica* dicas, sive *servilem*; à Græcis attamen pro *radicali* (u) sumptam) præponas, erit *Lebarnahas*: & Græcè Λάρνασος; i. e. *mons augurii*. Qvippe mons ille, cùm *Delphi*, qvi tam clarè audiebant ob Oracula, in eo siti fuerint, (x) eo nomine dici excellenter meruit.

(x) Δελφοὶ πόλις ἐπὶ τοῦ Παρνασοῦ. *Steph. de Urb.*

Postea verò, qvoniam propheticus iste spiritus è specu (qvi ibidem loci fuit) emanare solet, *montem* dicebant פרע נחש Parai-nahas. i. e. *hiatus divinationum*. Qvæ verba Græci protinus ad lingvæ suæ typum formabant; & Πάρνασον efficiebant. Hunc montem non dubites qvin

(u) *Videre est Græcos* Hebraismi *non satis gnaros*, τὸ Lamed, *qvæ est* Genitivi, Dativi *atqve etiam* Accusativi *nota*, *pro parte nominis aliqvando accepisse. Sic ex* רסן Resen, *præfixâ literâ* ל *ad Genitivi vel Dativi notam*, *fit* Leresen: *inde Græcis* Λάρισσα. *Qvippe eandem fuisse utramqve civitatem probat utriusqve situs & descriptio. Confer ea qvæ* Xenophon *habet de Larissa* (Anabas. lib. III.) *cum Gen. cap. X. comm.* 11.

qvin *Javanis* filii aut nepotes incolebant, & in eo Templum Jehovæ consecrabant. Prisci enim, à Noæ usqve temporibus, montes habitandos eligebant: & in iis præcipuè (nam Deo sacros existimabant *) rem divinam facere consveverunt. Qvæ in hoc monte, reor, haud impurè peragebatur, usqve dum nescio qvis Idololatra & Mystes è *Dodona* profectus, eò pervenerat; omnia sub religionis specie corruperat; novos cultus instituerat; atqve Oracula, dæmone & mysteriô plenus, edidisset.

* *Unde Græci qvemlibet montem* Jovis montem *vocare solent.*

Oraculi verò Delphici *causam*, qvi mallent ad *Coretæ* & *caprarum* fabulam (y) respicere, *naturalem* statuant: qvædam sanè argumenta, qvibus opinionem fundent & disputationis attollant molem, præstò erunt. Qvippe mens nostra (perinde ac *Sol* luce) præsagiendi facultate nunqvam non pollet: Corporis autem dyscrasiâ, veluti nube, obducitur; ut ea qvæ de longinqvo perspicere nata sit, intueri neqveat. Ipsa igitur (contra qvam *Harpaste* apud *Senecam*) cæca non est; sed ejus domus. Qvocirca spiri-

(y) *De qva vide Diod. Sicul. l.* VI.

tus,

tus, *(z)* qvi corporis affectiones & temperiem mutando, mentem qvasi liberent, & limpidiorem reddant, ipsi enthusiasmos efficere valeant. Hujus autem generis esse *Vel* præcalidos qvosdam vapores: qvi penitus intrant *Pythiam:* eamqve (similiter ac flammæ *mantilia* è Carysthio lapide *confecta*) non adurunt; sed, qvod mirum est, eluunt & abstergunt. *Vel* frigidos nescio qvos halitus: qvibus, ut *tinctura ferrum*, spiritus nostri densari, qvodam qvasi *stomomate* indurari, atqve ita ad vaticinia disponi possint. Nam sicut *stannum æri* (qvod rarum qviddam est) *infusum*, id densat simul & stipat; nec non & splendidius multò ac purius efficit; ita frigidus qvidam vapor (qvalis efferri solet è specu Delphicô) menti consentaneum qvid & co-

(z) *Videsis* Plutarchum *de Orac. defect.* & Aristotelem *de Mundo* cap. IV. *ubi hæc habet: Multi sane multis in locis exitus spirituum patefacti sunt: Qvorum partim tabificâ vi absumunt partim fatidicos efficiunt: ut* Delphici & Lebadici. *Hæc ille.* Jamblichus *de mysteriis. In* Colophonio *(inqvit)* Oraculo *aqvâ bibitâ vaticinium veniebat. In* Branchidico *haurientes vaporem ex aqva prophetabant. vide etiam* Nonni Συναγ. ἱστορ. 2. ιδ´ & Suidam *in voce* Κασταλία.

cognatum habens, ejus partes implet, continet, ac limpidas reddit; adeoqve divinandi facultatem ciet. Nec mirum, si terram ultos passim vapores edat, qvôrum pauci tamen *enthusiasmum* futuriqve notitiam creent. Qvippe ut *Apollinis*, qvi *Tarsi* est, *gladius* Cydni aqvâ solummodò tergi ac purgari potuit; sic illa corporis affectio qvæ mentem fuscat & obcæcat, non nisi propriô qvôdam vapore mutari dispelliqve possit. Nec obstat qvòd apud Delphos unica duntaxat fœmina vim istius vaporis experta fuerit: Primò enim capræ, *Coretas* pastor, & qvicunqve specus seu foveæ os accedissent, enthusiastici redibant. Postea verò spiritus iste Propheticus ad *Pythiam* solummodò per *tripodem* qvendam *perforatum* (a) specus ori impositum, qvasi per ductum ferebatur. Insedit enim *Pythias* tripodi, & spiritum infernè emissum pudendis excipiebat: mirâ deinde corporis immutatione factâ, res de futuro vidit & prædixit. At, inqvies, admirandus ille Oracula reddendi modus, ipsum disputationis vestræ jugulum petit. Pythia nempe tacens loqvuta est; & immotis labiis, (b)

(a) *Vide Tzetzem in Lycophron. pag.* 205.

(b) Lycophron. *de Alexandra.*

Δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα
Σφίγγος κελαινῆς γῆρυν ἐκμιμουμένη,
Laurivorô vaticinata est ore
Nigra Sphingis vocem imitans.

Cujus scilicet ex pectore Spiritus iste, qvi intus agebat, dubia sua responsa dedit: ideoqve proculdubio *Pythiæ* vaticinium, qvod *Naturæ* opus esse contendis, Dæmon aliqvis sibi totum vendicat. Pulchrè redarguis.

Hoc attamen aliter opinantibus haud officiat: cùm mirabilis illa, qvæ objicitur, στερνομαντία ab arte, citra Dæmonis opem, præstari possit. Nec desunt exempla qvæ id testatum faciunt. Commoratus est *Oxoniæ* Anno 1643. Vir qvidam (qvem vulgò *Regis susurronem* * vocabant) hôc artificiô insignis. Ille, inqvam, verba, qvæcunqve vellet, ex imo qvasi pectore, clausis immotisqve labiis, efferre tam mirè potuit, ut è longinqvo prolata viderentur. Hunc igitur ἐγγαστρίμυθον qvos ludos facere? adstantes nempe & secum conferentes ex improviso compellare, agnominare, dicteriis lacessere, tantâ arte, ut vel ante oculos coram lateret. Qvid ad hæc adstantes? resilire; oculis omnia perlustrare; foris egre-

* The Kings whisperer / *nomine* Fanningus.

egredi; agnominantem qværere; & nemine comparente, prorsus indignari; scurræ vehementer irasci ac minari: tandem verò, fraude cognitâ, omnes artificium mirari; sibi tam bellè illusis gratulari; ac risu emori. En sine dæmonio στερνόμαντιν! pluribus id ipsum probare non est necesse. Liceat tamen unicam historiam, concinnam qvidem ac lepidam, qvæqve ad rem nostram luculenter facit, è *Brodæo* huc transferre: *Vivebat Lutetiæ dum hæc commentarer (inqvit ille *)* Ludovicus Brabantius, *Francisci primi Gallorum regis cubicularius*, insignis Engastrimythus, *fingendiqve inprimis Manium voces & ejulatus artifex: Hâc igitur arte pollens cùm formosissimam ditissimamqve puellam, patre orbam, amaret; ejus matrem, qvæ istius præstigias non nosset, adiit; mariti vocem palam fingens, qvi juberet ut huic viro optimo ac locupletissimo eam nuptam daret: se gravissimè in igne purgatorio torqveri qvod huic jampridem petenti denegasset: fore tamen ut ex eo citò emergeret, si huic collocasset. Illa ne multis; protinus marito morem gerit; eiqve filiam in matrimonium dat. Sexcentas id genus fallacias Gallis penè omnibus notas refer-*

* *In Miscell. lib.* VIII.

referre non est necesse. Hanc porrò unam silere sine neglgentiæ crimine neqveo. Cùm igitur nummis indigeret Brabantius, *audiretqve Lugduni* Cornutum *trapezitam ditissimum esse*; illuc statim *proficiscitur: hominem convenit; se cum eo arcanis qvibusdam de rebus clam agere velle ostendit. Ille libenter* Brabantium *accipit: Qui pauca primò de religione; dehinc multos de dæmonibus, de spectris, de ignis purgatorii pœnis, de Inferorum cruciatibus sermones refert: ad extremum* Cornuti *patris jampridem defuncti vocem simulat; qvi huic grandem pecuniam ad redimendos à Turcis Christianos captivos dari imperaret. Se jam aliqvot annos in igne purgatorio supplicia perferre. Ipsum verò, nisi sibi obseqveretur, brevi in sceleratorum sedes demersum iri; qvod eum ex usuris & anatocismis immensas præter jus facultates comparasse exploratum haberet. Cornutus primùm rei novitate perturbatur: ab eo deinde petiit, ut postridiè rediret: homo revertitur: reversum qvasi deambulandi causâ in planitiem qvandam ducit longè à tugurio, à colle, à fossa, ab arbore: (putabat enim domi è laqveari, aut fissi parietis rimâ verba sibi dari)* Brabantius, *cur id*

fieret

fieret probè animadvertens, flebiliter magis qvàm unqvam antea, defunctorum Cornuti *parentum manes per omnes Deos qviritari simulat: addidit qvod ei commodum fuit. Hoc audiens perculsusqve miraculô rei* Cornutus, *& nihil jam fraudis inesse suspicatus, præsertim cùm eadem postea audiret qvòties qvibusve locis vellet; decem* Brabantiò *aureorum millia numerat, qvibus Christianos captivos redimendos curaret. Ipse* Venetias ac in Græciam *proficisci se prædicans, domum revertitur. Ferunt autem non multos post menses* Cornutum *(nam totam continuò fabulam rescivit) non interversæ pecuniæ damnô, sed* Lugdunensium *hominum facetiis ac derisu in gravem morbum incidisse; ex eoqve naturæ concessisse.* Ex his, ut opinor abundè constat *Ventriloqvos* arte fieri posse: Pythia igitur (ut dissertationem nostram porrò ducam) vim præsagientem, *Naturæ*; oracula edendi modum, (qvi mirus fuit) *arti* debuit. Qvæ cùm ex ore, ut aliæ solent, vaticinari potuisset, ex pectore tamen maluit: ut, qvi sciscitatum venirent, Oracula non tam à se, qvàm ab inqvilino qvodam Deo proferri crederent. subtiles ergo erant hæ præ-

stigiæ:

ſtigiæ: qvibus Oraculo ſibiqve non parum celebritatis & gloriæ conqvirebat.

Sed ne Deos ab Oraculo trudere, ac divinandi principium, immò ipſam ſubſtantiam ac vim in ſpiritus, vapores, exhalationeſqve referre videar; pro divinationis ſubjecto, *Mentem*: pro inſtrumento plectroqve, qvod facultatem moveat, *Vaporem*: pro cuſtode verò, præſide, atqve inſpectore *Deum* ſtatuo: qvi alia tempeſtivè ſubjungit, alia intendit, abalienationem mentis reſtringit, vaporemqve ita temperat, ut ſine noxa & dolore moveat correptos. *Deus enim per infima qvæqve cognitione carentia patefacit qvædam cognitione ſuperiora: ubi teſtatur ſe longè ſupereminere naturam.* Jamblichus *in lib. de myſteriis.* Hæc ita luſus ergo diſſerui: Seriò tamen & cordatè pronuntiandum, ſpiritum iſtum, qvi ſpecu *Delphicô* prodibat, non aliunde, qvàm ab inferis, emanaſſe; ac jure optimô Πλȣ́των@- λάτξιν (c) i. e. *Plutonis famulum* dici. Qvale autem fuerit illud vaticinandi principium, qvalis auctor, comploratum erit ei, qvi vel ejus fallacias & impoſturas ſpectabit, aut in Pythiam

(c) *Ita hunc ſpiritum ſive dæmonem vocat Lycophron. pag. 205. edit. Paul. Steph.*

thiam influendi modum: Qvippe *spiritus* iste seu *dæmon* (qvem Sacri Scriptores אוב *Ob* vocant) *Pythiam* per immundas (& qvæ vix possunt honestè nominari) partes *(d)* intrabat. Ipsa, inqvam, tripodem conscendens è subjecto antro per pudenda excipiebat *Dæmonem*: qvem cùm penitus sensisset, horripilibat illicò, & (qvod hodiè qvibusdam fanaticis, anglicè **Quakers** *(e)* dictis, accidit) summâ omnium membrorum trepidatione corripiebatur; *(f)* spumas excernebat fœtidissimè; *(g)* reliqvaqve complens omnia, qvæ maniacæ solent, *τὰ τῆς μαντείας ἢ μᾶλλον μανίας ῥήματα* (ut ludit Schol. Aristoph.) proferebat. Deinde spiri-

(d) Fœdissimus iste Ob *modò ex axillis harioli, modò è* Pythiæ *pudendis responsa dabat: tam submissâ voce, ut verba ex terræ cavitatibus egredi penè viderentur. Unde* אובות Oboth LXX *reddunt οἱ ἐκ τῆς γῆς φωνοῦντες, & ἐγγαστρίμυθοι.*

(e) O qvàm iniqvè agitis, qvi Sectam, qvam **Quakers** *vocant, tanqvam novam damnatis; cùm tamen eorum ἐνθουσιασμοὶ æqvè ac* Pythiæ Oracula *τρισχιλίων ἐτῶν δόξαν. i. e.* ter mille annorum gloriam *sibi vendicet. vid. Plut. de Pyth. Oraculis.*

(f) Vide Plutarchum de Orac. defec.

(g) Vide Scholiastem Aristoph. pag. 6. edit. Aurel.

ſpiritus iſte ſeu *Ob* eò fallaciarum proceſſit, ut *Delphos* Ethnici pleriqve (teſte Plutarchô) veluti *σοφίσȣ διατειβὴν* negligerent.

Utcunqve tamen *Oraculum* illud, nempe *Delphicum*, qvia multa verè prædixit; bona qvamplurima bellô paceqve Græcis attulit; & varia, qvæ ejus benevolentiam, æqvanimitatem, providentiamqve teſtatam faciunt, clarè expreſſit; veritatis opinione *(h)* ita inclaruit; divitiis efflorefcebat; præſtantiſſimorum artificum operibus effulſit; deniqve regum, principum, immò omnium ferè cultu atqve veneratione cohoneſtatum fuit; ut inter reliqva omnia, qvotqvot inter *Græcos*, Oracula tanqvam ſidus eluxit ſemper & enituit. *(i)* Ad tantos ipſius honores & cultus etiam ſitus loci nonnihil contulit: In medio enim totius Græciæ (ſi *Straboni* credamus) ſiti ſunt Delphi: immò (qvod ipſi jactant) in medio totius Orbis. Unde

(h) Oraculum Delphicum *πάντων ἀψευδέστατον haberi teſtatur* Ephorus *apud Strabonem lib.* IX.

(i) Τȣ̃ ἱερȣ̃ ἐπιφάνεια τȣ̃ ἐν Δελφοῖς ἔχει πρεσβεῖον Strab. *lib.* IX.

Unde *Delphos* Terræ *umbilicum* vocant: *(k)*

(k) *Vide Pind. Od.* VII. *Strab. lib.* IX. *Pausan. l.* X.

Tandem igitur, (ut ad id, qvod primò institueram, post longa nimis diverticula, perveniam) Græci, qvos *Josua* ad *Schiluntem* Dei *arcâ* atqve *Oraculo* celebrem pervenientis, ibiqve morantis aliqvandiu, & qvasi præsidentis historia non latuit; *Apollinem* suum (qvem *Josuæ* per omnia similem præstare pro virili contendebant) hujus *Oraculi*, omnium apud ipsos longè celeberrimi, *præsidem* constituendum non inconsultò judicabant. *Bacchum* igitur, qvi tunc *Oraculo* præficiebatur, honoribus exigunt: *Apollinem* substituunt: sciscitatum adeunt & colunt: & insigne illud *programma*, nempè τὸ EI, qvod priùs ad *Bacchum* (qvô jure scies infrà) pertinuit, *Apollinis* esse in posterum sanciunt.

EI.

EI APUD DELPHOS, Qvid.

C A P. X.

EI apud *Delphos* qvid. EI Dei *compellatio*. *Fit ab* εἰμὶ *vel à* יה Jah, *qvomodò*. Ἱερὸν & Ἱερεῖς unde. *Veteres* Græci *ε pro η usi sunt*. Græci & Etrusci *olim* sinistrorsum *scribebant*. Tæpocon *qvale scribendi genus*. Chamæporon. Βουστροφηδὸν *qvid propriè*. Romani βουστροφηδὸν *scripserunt*. Exarare literas *unde*. Antiqvi *Græci verum* Deum Bacchi *nomine colebant*. Dei *nomina* Baccho *tributa*. Διόνυσος *fit ex* ذو سيني *Dy-Sinai i. e.* Dominus Sinæ; *per metathesin* Nysæ. Bacchi *cultus ex* Arabia *delatus in Græciam*. *Ejus* nomen *fictum ex* Arabum *exclamatione* بخ بخ Bacche Bacche. *Dionysius* Ὀροτὰλ *vel* Ὀλατὰλ *i. e.* الله تعالي *Olla taal*, Deus excelsus & supremus. *Ex observatione* Cl. Pocockii. *Discrimen inter* Ὀροτὰλ &

Ἀλιλάτ. Arabes *Bacchum vocant* ذو الشرى Du-Shara: inde Græca vox Δυσάρης. Bacchus Σαβάζιος *&* Εὔιος *unde dictus.* Εὐοῖ σαβοῖ, Jehovah Sabaoth. Bacchum *à* Judæis *coli cur crederetur.* Levitæ *unde dicti secundum* Mæragenem. Bacchus *apud Arabes* lapis qvadratus: *apud Græcos* columna; *cur.* Ὕης Ἄττης, *unde. Ethnici soli* Dionysio *immortalitatem fixam dabant.* EI *apud Delphos pertinuit ad* Bacchum *&* Apollinem. Bacchi *cognomina* Apollini *data.* Apollinis imago *apud Delphos* columna. Ἀπόλλων Unum *&* *verum* Deum significat.

NON ipsa *Oracula* (at qvàm dubia atqve involuta!) plus exercebant Antiqvorum ingenia, qvàm *Programma* illud, τὸ εἰ, qvod Templi foribus inscribebatur. Qvid enim notaret οὐδ' ἂν Ἀπόλλων μάθοι *ne ipse Apollo qvidem* (ut ajunt) *intelligeret.* In qvo tamen illustrando nihil ferè intentatum reliqvit eruditior ambitio. Hæc *Lamprias,* (a) ista *Nicander, Theo* diversa commentatus est. Nonnulli id *historicè,* qvidam *dia-*

(a) *Vide* Plutarch. *in ει apud Delphos.*

dialecticè, alii verò *Mathematicè* explicant: ſunt qvi *Muſicè*, qvi *Phyſicè*, qvi *Metaphyſicè* exponendum cenſent. Omnium verò, qvos ſcio, rectiſſimè *Ammonius* (apud Plutarchum) τὸ ει putat eſſe αὐτοτελῆ τοῦ θεοῦ προσαγόρευσιν καὶ προσφώνησιν. i. e. *ipſam ſibi ſufficientem Dei compellationem. Deus enim*, inqvit ille, *unumqvemqve noſtrum huc* (id eſt ad fanum Delphicum) *accedentem veluti ſalutans compellat his verbis*, γνῶθι σεαυτόν. noſce teipſum; *quæ nihil aliud ſunt qvàm* χαῖρε ſalve. *Nos autem viciſſim reſpondentes Deo*, EI, *id eſt*, Es, *dicimus. Veram, certam, ſolamqve ſoli appellationem, qvâ eſſe dicitur, attribuentes.* Homines, ut ait Plato, *(c)* εἰσὶν ὄντως οὐδέποτε ὄντες, *revera eſſe non habent.* Nec ſumus qvidem, ſed interimus qvotidie: Qvi heri fuit, hodierno ceſſit: hodiernus in craſtinum deſinit

(c) *In Timæo.*

—— *Nec qvod fuimuſqve, ſumuſqve*
Cras erimus. (d)

(d) *Ovid. Metamorph.*

Qvin & idipſum momentum temporis, qvô maximè nitimur, in præteritum & futurum diſpeſcitur eliditurqve; ut vix ſcias an adſit prius an præteriit. Scitè igitur *Ammonius* veram eſſentiam ſoli

Deo ἐκστάσεως καὶ μεταβολῆς experti concedit: minùs autem rectè τὸ εἶς, verbum ſecundæ perſonæ ſtatuit. Qvippe enim γνῶθι σεαυτὸν non fuit *Dei* ſalutatio, ſed *hominis* apophthegma: qvod ita ſe habere vel inde ſcias, qvod præter illud, etiam *Ne qvid nimis*, * & alia *ſapientum dicta* Templi veſtibulo inſcribebantur. Nec τὸ εἰ nomen erat ex hominis reſponſo (ſicut *Ammonio* viſum eſt) ad Deum; ſed à Dei prædicatione de ſeipſo, oriundum. Vocavit enim Deus ſeipſum אהיה † Ehejeh; *(e)* Græcè Εἰμι vernaculè Ik ben. Qvod nomen Dei proprium eſt; ejuſqve eſſentiam disertè ſignificat; ipſumqve à Diis falſis omnium maximè diſtingvit ac diſcriminat. Qvocirca priſci Græciæ ſapientes, ut cujus honori Templum illud dicarant, qvemqve

* *Plutarchus.*

† *Exod. cap.* III. *comm.* 14.

(e) אהיה Ehejah *nonnulli reddunt*, ero, qvi ero. *Sed qvàm impropriè judicet* Plato: *qvi in Timæo hæc loqvitur.* τὸ τ' ἦν, τό τ' ἔσται χρόνου γεγονότος εἴδη φέροντες λανθάνομεν ἐπὶ τὴν ἀΐδιον οὐσίαν, οὐκ ὀρθῶς· λέγομεν γὰρ δὴ ὡς ἦν, ἔστι τε, καὶ ἔσται· τῇ δὲ τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον προσήκει. Illas temporis diſtinctiones, *fuit* nimirum, & *Erit*, Æternæ eſſentiæ non rectè attribuimus: Dicimus enim *Fuit*, *Eſt*, & *Erit*; huic autem (*nempe æternæ eſſentiæ*) τὸ *Eſt* ſolummodo reverà convenit.

qve ipsi revera colebant, mysticè innuerent; sacrosanctum hoc Dei nomen Templi foribus inscripserunt: tamen non totum, sed primam ejus syllabam tantùm. Nam familiare erat Græcis per literarum compendia scribere, & vice completæ vocis, unam literam duntaxat vel syllabam ponere. Id etiam *Mystæ* pro virili semper agebant, ut qvicqvid ad religionem qvoqvô modô spectaret, obscurius & à vulgi sensu remotius efficerent. Ea enim plebs impensiùs admiratur, qvæ ignorat; & si qvid, in Templo præsertim, videat, qvod ipsius intellectum fugiat, id statim grandi qvôdam mysteriô ditatum credit. Magni igitur ad religionem putabant interesse, si EI potiùs, qvàm EIMI inscriberent.

Qvamvis fortasse τὸ ει non ab ειμι, sed à יה *Jah*, post varias tamen mutationes, (habent enim verba qvoqve suas veluti μετεμψυχώσεις) efformatum sit. Hoc autem, percontaberis, ut fieri potuit. Eqvidem, modò fusiùs enarranti venia concedatur, ostendam.

Primò igitur, יה *Jah*, qvia Græcis ἄῤῥητος καὶ ἀνεκδιήγητος erat aspiratio finalis, in Ἰα vertitur: Unde *Hesychius*,

Ἴα, τ̀ Θεὸν σημαίνει καθ' Ἑβραίους. i. e. *Apud Hebræos* Ἴα *Deum significat*. Ἴα deinde fit ἴη: unde Græci olim τὸ δαιμόνιον ἵλεον ἐξίειν εἶναι ἐπιφωνοῦντες ἴη ἴη: *(f) Deum sibi propitium esse rogantes acclamabant* ἴη ἴη i. e. *Deus, Deus*. Ideoqve *Templum* divino cultui dicatum vocabant ἱερὸν; & *Sacerdotes*, ἱερεῖς. Denuò, qvia Græcorum Ἀλφαβητὸν literam η *Simonidis* usqve tempora *(g)* non habuit, at ejus vice Græci, ε, uti solent, non ἴη antiqvitùs, sed ιε scripserunt. Tandem igitur, ut palam fiat qvomodò ιε in ει transmutatum fuerit, pauca præmitti debent. Constat apud eruditos non modò *Hebræos*, *Arabes* aliosqve Orientales; sed & *Græcos* olim *sinistrorsum* scripsisse. *(h)* Qvi primò

(f) Eustath. in Odyss. Ῥαψωδ. γ.

(g) Vide Suidam *in voce* Σιμωνίδης οὐχ, η, ἐχρώμεθα ἀλλὰ, ε, τὸ παλαιόν. Plato *in Cratylo*.

(h) Illud scribendi genus appellabant Tæpocon; *si modò rectè legerit* Gyraldus: *qvi in Dialog.* 1. *de Poët. histor. hæc habet.* Scribit Sextus Pompejus, *Tæpocon* appellârunt Græci genus scribendi sinistrorsum, ut nunc dextrorsum scribimus. *Verùm Sexti Pompei libri, qvos vidi, omnes aliter se habent: nempè* Tæpocon, appellarunt Græci genus scribendi deorsum versus, ut nunc dextrorsum scribimus. *Aliud igitur scribendi genus est ab eo, qvod ad sini-*

mò à dextra sinistram versus stylum ducebant; atqve ubi ad sinistram paginæ oram devenissent, indè, qvia locus iste prior se obtulit, dextrorsum pergebant: istaqve lineâ confectâ versus sinistram denuò recurrebant: ad hunc modum

ΑϘΔΝΑ

finistram fieri consuevit: & qvale fuit, non dubito qvin ipsum nomen, anteqvam tam fœdè depravaretur, præ se tulit. Ex variis enim, qvæ occurrunt, lectionibus (viz. Tanpercon, Taenpocon, Taenpton, Tahenporon, Temperon, Tempocon, Taemporon.*) minùs à vero abesse mihi videtur lectio* Taemporon *vel* Tahemporon; *Qvod metathesi factum reor ex* Thameporon; *hoc ex* Chamæporon. *Nil aliud verò* Chamæporon, *qvàm χαμαίφορον vel χαμαίπορον, i. e. scribendi genus* ad terram vel deorsum gradiens & tendens.

Etruscos etiam sinistrorsum scripsisse liqvet ex Eugubina tabula *lingvâ* Etruscâ *veteri scriptâ*, Hebræorum more, *à dextra ad sinistram. Hanc interpretatus est* Bernardinus Baldus.

Qvin & ille scribendi modus, qvem vocant βυστροφηδὸν, antiqvis Romanis in usu fuit. Unde versus (*inqvit* Isidorus *in Orig. lib.* VI. *cap.* XIII.) ita vocati, qvia sic scribebant antiqvi, sicut aratur terra. *Ad qvem modum fortè alludit* T. Qvintus Atta *in sua comœdia, hæc dicens.* Vertamus vomerem in ceram, mucronéqve aremus osseô. *Huc etiam referri possit illa phrasis Latina*, exarare literas, *&* lineas.

-ΟΠ ΑΞΥΟΜ ΞΠΞΝΝΞ ΙΟΜ ΑϤΔΝΑ
* ΑΛΛΟΠ ΑΛΑΜ ΞΟ ΝΟΠΟϤΤΥΛ
- ΠΛΑΓΧΘΗ, ΕΠΕΙΤΡΟΙΗΣ ΙΕΡΟΝ ΠΤΟ-
ΛΙΕΘΡΟΝ ΕΠΕΡΣΕ
-Α ΝΞΔΙ ΝΩΠΩϤΘΝΑ Δ ΝΩΔΛΟΠ
ΩΝΙΞ ΝΟΟΝΙΑΚ ΑΞΤΞ
ΠΟΛΛΑ Δ' ΟΓ' ΕΝ ΠΟΝΤΩ ΠΑΘΕΝ
ΑΛΓΕΑ ΟΝ ΚΑΤΑ ΘΥΜΟΝ.

Talis erat ſcriptura legum *Solonis* qvæ Ἄξονες καὶ Κύρβεις dictæ ſunt; ut auctor eſt *Euphorion*, & *Didymus:* qvos citat *Cl. Voſſius* in lib. I. Gramm. cap. XXXIV. Ejuſmodi qvoqve (teſte *Pauſaniâ*, (i) fuit Olympiæ *Cypſelidarum inſcriptio.* Qvod quidem ſcribendi genus, haud inepto vocabulô, βουστροφηδὸν i. e. *adinſtar verſuræ boum* fieri tradiderunt. Qvam tamen haud accuratè retulit: Nam, cùm binæ literarum extremitates, boum jugo; & pars intermedia, temoni reſpondeant; ſi verè βουστροφηδὸν fuiſſet, illæ extremitates ſive apices, qvæ in priori linea

(i) *In Eliac prior.*

* *Qvia ſcriptioni retrogradæ typi* practici & curſivi *(ut vocant) ſeu* minuſculi *prorſus inepti ſunt*, *Typographus hic* capitalibus *ſeu* majuſculis *uſus eſt. Unde hexametrum unicâ lineâ totum comprehendi non poſſet: qvod tamen factum ſupponatur.*

nea Orientem, in secunda (qvod tamen secus fieri videmus) Occidentem spectassent. Scriptio autem propriè βουστροφηδὸν fit eâ ratione, qvâ in *Diaulo* curritur: (k) ita ut à fine versus superioris, seqvens illicò sinuetur: hoc modo, (k) *Pausan. in Eliac. prior.*

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ

Πλ πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε·

Πολ λων δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω·

Πο λλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν.

Vel fortè ad hunc modum:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος

Οὐλομένην, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε·

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἀϊδι προΐαψεν

Ἡρώων, αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.

Ut non tam boum arantium motum, qvi continuus est; qvàm sulcorum ductus, qvi semper ad jugeri finem disterminari solent, exprimeret. Unde lineæ nonnunqvam αὔλακες dictæ sunt. Ex tribus autem, qvas modò exhibui, scribendi

bendi formis Græci priorem excoluerunt: Qvod his, ut mihi videtur, argumentis liqvet. Primò cùm leges *Solonis*, qvæ Ἄξονες appellantur, βυστροφηδὸν scriptæ fuerint, *Demosthenes* (ut eum interpretantur *Euphorion* & *Didymus*) eam legem, cujus scriptura incipiebat à sinistris, *inferiorem* vocabat; qvocirca superior, ut à dextris sinistrorsum vergeret, necesse est. Denuò verisimile est *Græcos* accepisse à Cadmo, ut literas, ita etiam scribendi modum: cùm verò *Phœnices* æqvè ac *Hebræi* solent à dextra sinistram versus scribere; *Græcos* itidem fecisse consentaneum est.

Græci igitur Hebræorum more, primam lineam sinistrorsum ducebant, ubi verò ad finem prioris lineæ devenerant, secundam, qvia locus iste paratior erat, à sinistra inchoabant. Adeò ut *Hebræos* ex parte duntaxat imitati sint; nisi fides adhibenda sit *Nauclero* tradenti *(l) Hebræos* usqve ad *Esdræ tempora* βυστροφηδὸν scripsisse; *Esdramqve* primum instituisse, qvòd à dextra ad sinistram solummodò scriberetur. Postremò, qvò minùs duo posteriora scribendi genera *Græcis* usitata fuerint, tum molestia, qvàm convertendæ

(l) Gener. at 54.

tendæ tabellæ facesserent; tum liturandi periculum (sive in *cera*, sive in *Pergamenis* aut *papyro* lineas exararent) obstabat. Illos idcircò priori modô scripsisse judico.

His jam præmissis, facile erit explicatu, qvâ olim ratione ιε in ει conversum fuerit. Qvippe cùm Græci scribere *Phœnicum* sive *Hebræorum* more consueverint, vestibulo *Templi Delphici* non ει sed ιε sinistram versus inscripserunt. Qværas ultrà: qvônam igitur modô ιε in ει mutari contigerit? paucis expediam. Vero plusqvam simile est veram *programmatis* illius rationem, à *Græcis* ob fabulas ineptas æqvè ac obscuras haud intellectam, tandem periisse. Porrò duas illas syllabas nempè ει præ celeritate pronunciandi, facilè in unam coaluisse, &, perinde ac ει vel ι tantùm, vulgò pronunciatas fuisse. Illi igitur qvi Fanum *Delphicum* (qvod sæpenumero, teste Pausaniâ, funditus eversum fuit) aliqvandò restituebant; qvia mysticum illud nomen veteris Templi foribus inscriptum, ex duabus hisce literis *viz.* ε & ι constitisse, & ad instar τȣ̃ ει pronuntiatum fuisse, inaudiverant; Templo rursus instau-

rato

rato non *ει* ampliùs sed *ε* inscribendum curabant. Has, ut opinor, mutationes sustinuit vox illa, ex qvo *Iah* sive Ι'*α* fuit.

Nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem

Sed tamen ipsa eadem est. *

* *Ovid. in Metaph.*

Undenam verò *Jah* sive Ι*α* *Delphis*? Græcosne verum *Deum* reveritos esse? Credo eqvidem *Græcos* antiqvissimos, puta *Javanis* filios, non modò *Jehovam* agnovisse, sed ejus etiam honori ac cultui Templa qvamplurima condidisse: & inter cætera, qvod *Parnassium* vocabant sive *Delphicum*: atqve hoc, ut videtur, titulô summi Dei *Jah*, cui sacratum fuit, insigniebant.

Qvin & Græci multò recentiores verum Deum tectè, licet & corruptissimè *Delphis* colebant: Nec per *Bacchum* (qvi *Delphis* priùs qvàm *Apollo*, cultus fuit) alium sanè qvàm *Jehovam* intelligebant. Aut sanctissima summi *Dei* nomina saltem, ad *Bacchi* cultum atqve honorem scelestissimè detorserunt. Ille enim Ἀδονεὺς, ille ἐλελεὺς, *(m)* ille Ἰάω & Ἰήιος (voca-

(*m*) *De hisce nominibus consulas* Cl. Bochartum *lib.* 1. *de* Phœnicum *coloniis pag.* 479. *cui addo hæc de nomine* Ἰάω.

(vocabulis ipsa Dei nomina valde redolentibus,) appellatur. Ille etiam Διόνυσος dicitur. Ea autem vox non hominem sonat; ô Deus certè! constituitur enim ex ذو Du *vel* Dy, *Dominus*: & سيني Sinai. *Sina* autem vel *Syna* per metathesin fit *Nysa*: inde Διόνυσος hoc est *Dominus Sina*; vel *Jehovah Sinai*. Non enim vox *hybrida* est (qvod placuit doctissimo Bocharto, qvi Διόνυσον adinstar Hebræarum vocum יהוה נסי *Jehovah Nissi* factum judicat) sed purè *Arabica*. Nec hoc sine ratione decernitur; cùm vel ipsum *Bacchi* nomen unà cum ipsius cultu ab Arabibus ad Græcos (ut eximio Viro, non sine honorifica modestiæ, candoris ac literaturæ omnis generis

præ-

Ἰάω. Apollo Clarius *consultus qvis Deorum habendus esset, qvi vocatur* Ἰάω: *hæc inter alia effatus est.* Φράζεο τ̃ πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν, ἰάω. *Et* Diodorus Siculus *biblioth. hist. lib.* 1. *part.* 11. *ubi verba facit de legum latoribus antiqvis, qvi simularunt se Deorum munere acceptas leges popularibus suis constituisse: & hæc confestim subjicit.* παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μώσην τ̃ ἰάω ἐπικαλούμενον θεὸν προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι. *i. e.* apud Judæos Mosen finxisse Deum illum qvi ἰάω cognominatur, leges ipsi tradidisse. *Sed variè apud Græcos exprimitur* Jehovah *nempe* ἰαώ, ἰαοὺ, ἰαῦ, & ἰῶ.

præfatione nominando, D^no^ *Edvardo Pocockio* visum est (*n*) transmissum videatur.

(*n*) *Vide ejus doctiss.* Notas *in Specimen. hist. Arabum.*

Qvippe si ab incondita *Bacchantium* vociferatione (qvod *Eustathio* placet) dictus sit *Bacchus*; annon ejus cultores *Arabissantes* habeamus? Solet enim) inqvit ille *Arabicæ linguæ Phœnix*,) بخ بخ *Bacche Bacche* (qvod planè est ἰὼ ἰοῖ ἰοῖ vel ἰοῖ βάκχε) ab *Arabibus* ingeminari, cùm rem aliqvam laudibus efferant; vel admirabundi exclament. Apud eos enim بخ Baccha, *grandem, magnum, & præclarum* esse significat. Arabes igitur, ut verisimile est, qvotiescunqve *Dionysium* (qvem solum arbitrantur *Deum* esse) laudabant, admirabantur, aut venerati sunt, بخ بخ *Bacche Bacche* clamare solent. Unde Græci Διόνυσον qvoqve Βάκχον dixerunt.

Hunc Arabes etiam Οὐροτάλτ vel Οὐροτὰλ, vel Ὀροτὰλ vocant: vel (ut in MS. *Bibliothecæ Bodlejanæ* legitur) Ὀεροτὰλ pro qvo *Cl. Pocockius* (de qvo meritò dubites, utrum majorem à *doctrina* an à *modestia* laudem mereatur) Ὀλατὰλ substituere, etiamsi criticè atqve au-

audacter potuit, verecundè tamen maluit.

Ὀροτὰλ certè corruptam esse probat tum varia lectio, tum vocis ἀλογία: illius enim nominis apud *Arabes* qvæ ratio? qvis sensus? Qvocirca cùm λ & ρ sint facilè commutabiles; & Ὀροτὰλ *Arabum* supremum Deum esse vel Græci perhibeant; Ὀλατὰλ pro Ὀροτὰλ restituere nec absurdum esset, nec inscitum. Qvid aliud verò Ὀλατὰλ, qvàm (ut observavit eximius ille Vir) الله تعالى *Olla-taal* vel *Allah-taal* i. e. *Deus excelsus* vel *supremus*. Arabes enim *Dionysium* (qvem, ut mendosè scribitur, Οὐροτὰλτ vocabant) solum Deum esse judicabant. Testor *Herodotum* in lib. III. Διόνυσον δὲ θεὸν μοῦνον, καὶ τὴν Οὐρανίην ἡγέονται εἶναι. — — ὀνομάζουσι δὲ τὸν μὲν Διόνυσον Οὐροτὰλτ, τὴν δὲ Οὐρανίην Ἀλιλάτ. i.e. *Bacchum* (inqvit) & *Uraniam* Arabes *solos Deos esse arbitrantur.— Bacchum autem appellant* Urotalt; & *Uraniam*, Alilat. Fuit autem Ὀλατάλ. i. e. Allah-taal, *Deus supremus*, & *Deus Deorum:* Ἀλιλὰτ verò, i. e. Alilahat. *Deæ* vel *minorum gentium Dii*; nempè *Divi*, qvi pro ipsis (uti crediderunt) apud summum Deum intercedebant.

Adhæc eundem Deum, qvem Οὐροτὰλ, etiam ذو الشرى *Du-ſhara* nuncupabant. Unde Græca vox Δουσάρης, *Bacchus*: Δουσάρην τὸν Διόνυσον Ναβαταῖοι. *Bacchum Nabatai Duſaren* appellant. Heſychius. Ex qvibus herclè ſatis liqvet *Dionyſii* cultum *ex Arabia* delatum fuiſſe: nec aliud eô nomine qvondam ſignificari, qvàm ذو سيني *Dominum Sinæ*; Jehovam nempè τὸ Κύριον τοῦ σινά. *Dominum Synæ*; * vel (qvod metatheſi factum conſtat) *dominum Nyſæ*.

* *Pſalm.* LXVIII. 9.

Porrò (ut argumentorum remis ultrà propellam, qvæ modò expanſa ſunt, orationis vela) unde Bacchus Σαβάζιος dictus ſit, ſi non à צבאות Sabaoth: unde Εὔιος *Evius*, niſi ab ἰδὼ. Græcos enim ſic appellâſſe *Hebræorum Deum* liqvet ex *Porphyrio*, qvi affirmat *Sanconiathonem* de Judæorum gente veriſſima tradidiſſe, ut qvi rerum omnium ſummas accepiſſet, παρὰ ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως τοῦ θεοῦ ἰδὼ. i. e. à *Jerombalo* (Jerubbaal) *ſacerdote Dei Jeuo*. Qvomodo ex *Jehovah* formatum ſit ἰδὼ oſtendit doctiſſ. Fullerus in *miſcell. lib.* II. *cap.* VI. Ideoqve ſolemne illud *Bacchantium* epipho-

phonema, *ἐυοῖ σαβοῖ*, nihil aliud eſſe decernas, qvàm *Jehovah Sabaoth*.

Poſtremò Bacchi *Orgia* ad Hebræorum ritus ita adaptata fuerunt, ut *Maragenes* apud Plutarchum *(o)* non delirô magis qvàm impiô ore pronuntiaverit, *Bacchum à Judæis coli ſolitum: eorumqve maximam ſolennitatem, ſive tempus ſpectes, ſive modum, Bacchi Feſto congruere: ac demum Levitas à Lyſio vel Evio* (vel forſan utrôqve junctô) *Bacchi nominibus fuiſſe.* Hæc illud os impurum:

(o) Sympoſ. l. IV. probl. V.

Hinc autem non malè colligas, ritus hoſce (qvi Hebræorum ritibus uſqve adeò ſimiles exſtiterunt) integri illius cultus, qvô olim verum *Dionyſium*, i. e. *Dominum Sinæ*, Græci ac Arabes, ad *Hebræorum* exemplum, venerati ſunt, reliqvias eſſe.

Qvamvis enim recentiores Græci voces Hebræas & Arabicas malè intellectas depravando, S. S. Scripturæ locos inſulſè detorqvendo, perſonas & hiſtorias confundendo, fabulaſqve vanas & mythologias ineptiores attendendo commentandoqve, *Bacchum* ſive *Dionyſium* ſpurcatiſſimum neſcio qvem, *temulentiæ* atqve *veſaniæ* præſidem ac *Deum* reddi-

derunt; Antiqviores attamen tam *Arabes* qvàm *Græci*, non nisi verum *Deum* Jehovam per appellationes illas intelligebant, simul ac invocabant. Qvod Arabes attinet; mihi sanè (præter ea qvæ jam dicta sunt) argumentum penè Achilleum videtur, qvòd apud eos Bacchi *statua* nihil aliud sit qvàm *lapis qvadratus*, cetera planè *informis*. Auctor est *Maximus Tyrius* Serm. XXXVIII. Ἀράβιοι σέβουσι μὲν ὅντινα δ᾽ οὐκ οἶδα· τὸ δ᾽ ἄγαλμα ὃ εἶδον λίθος ἦν τετράγωνος. i. e. *Arabes Deum qvidem colunt, qvalem tamen minimè novi: statua autem, qvam vidi, erat qvadratus lapis.* Hinc etiam Græci, procul dubio *Arabissantes*, sub columnæ informis, ut ita dicam, imagine *Bacchum* colebant; ut tradit *Clemens Alexandrinus* Strom. lib. I. ex hoc, hôc versu

Στῦλος Θεβαίοισι Διώνυσος, πολυγηθής.

Exhilarans Bacchus Thebanis (est) *columna.*

Illi autem per *columnam*, sicut & Arabes per *qvadratum lapidem*, significabant τὸ ἀνεικόνιστον τοῦ θεοῦ, καὶ μόνιμον. *Deum qvem venerabantur ejusmodi esse, cujus*

imago

imago nullâ arte effingi, (p) cujusqve stabilitas nullâ vi labefactari possit. Addo etiam pro Baccho *columnam* propterea statui, qvòd *Deus* in columnæ specie corâm *Israëlitas* olim comparuit. *(q)* Porrò qvoniam *Deus* (in Deut. cap. IV. comm. 24.) *ignis* esse dicitur; inde factum ut *Bacchi* Sacerdotes tam freqventer acclamarent, Ὕης Ἄττης: qvæ nihil aliud sunt, qvàm הוא אש Hu-es i. e. *ipse est ignis:* & אתה אש Atta-es. i. e. *tu es ignis.* Ideoqve cùm de reliqvis Diis (teste *Diodorô Siculô*) variè sentirent homines, soli *Dionysio* immortalitatem fixam ratamqve tribuerunt.

(q) *Exod. cap.* XIII. *com.* 21.

Qvæ cùm ita se habeant, facile erit expedire, qvos auctores sibi vendicet antiqvior illa Templi Delphici inscriptio: nempe *vel* primos gentis illius Patres, *Javanis* filios; qvi (ut priùs dictum est) inter alia, qvæ Jehovæ colendo consecrârant Templa, hoc ad *Parnassum* constru-

(p) *Idem de* Deo *suo, rerum omnium* Opifice, *decreverunt* Etrusci: *qvi lege cavebant*, Ne in Templo Esaris (*id est* Creatoris *vid. suprà pag.* 89.) Statua Esaris ullo modô ponatur, aut ab ullo artifice fabricetur: nam qvem nullus vidit, nullus effigiare potest. *Vide Hetrusc. Antiq. Fragmenta.*

ſtruxerunt: *vel* eos ſaltem, qvi *Dionyſii* cultum Græciæ intulerunt. Nam cùm *Dionyſius* reverà *Deus* idem, qvi יה fuerit, & Delphis anteqvam *Apollo*, coleretur; non mirum ſi Veſtibulo Templi, primò יה *Jah*, deinde *ἰα*, poſtea *ει* (prout ſuprà narratur) inſcriptum ſit. EI autem, vel Plutarchô teſte, * non modò ad *Apollinem*, ſed ad Dionyſium qvoqve pertinuit: qvi non minori jure (inqvit ille) qvàm Apollo Delphorum ſibi partem vendicat. Et conſtat illud *programma* ad *Dionyſium* primò relatum fuiſſe, ſeriùs ad *Apollinem*: Ad qvem tum demùm pertinuit, cùm ipſe Deus haberi cœpit; iiſdemqve nominibus, qvibus Bacchus anteà, inſigniretur. Inde enim *Apollo ἐλελεὺς, ἰήϊος, ἰαῶ*, immò & Διόνυσος appellatus fuit. Et prorſus ut *Bacchi*, * Thebis; ita etiam *Apollinis* imago *Delphis, columna* fuit. Qvi non alia de cauſa dictus eſt *Apollo*, qvàm ut reverà Deus eſſe dijudicetur: ut viſum eſt *Clementi Alexandrino Στρωμ. lib. 1.* Ἀπόλλων μὲν μυστικῶς κατὰ στέρησιν τῶν πολλῶν, ὁ εἷς ἐστι θεός. Apollo *certè, qvi ex privatione multorum intelligitur, eſt* Unus Deus.

* *In Tract. qvi eſt de ει apud Delphos.*

* *Clemen. Alexand. Strom. lib. 1.*

DELPHI SCHILUNTIS SIMIA.

CAP. XI.

Ignis inextinctus Delphis, unde: Ἑςία *qvasi* אש יה Esch-ia *vel* Es-ia, *i. e.* Ignis Jehovæ. Ἑςία & Vesta *eadem.* Græci *olim nominibus à vocali incipientibus* digamma *præposuerunt. Iisdem* Latini *V consonantem præfixerunt. V & F ejusdem soni.* Ἑςία *dea fingitur, unde. De* Tripode *variæ sententiæ:* Cortina *ad* Tabernaculum *accommodata.* Tripus *ad* Arcæ *exemplum factus.* Holmus *ad similitudinem* Propitiatorii Epithematis. *Tripodis* mysteria. *An eo* sacram Triada *notaverint Antiqvi. Cur* Baccho *sacer.* Ternarius *numerus* Deo gratissimus *semper habitus.* Tripus *cur* Apollini *sacer.* Tripos *syllogismus: Mensa* Delphica *ad exemplum Mensæ* Tabernaculi *facta.*

Lecto jam expositôqve *programmate*, ipsum prorsus ingrediamur Templum;

plum; & ea, qvæ vulgi oculos pascunt, negligentes, ejus *Arcana* duntaxat; (ut curiosi solent) penitus inspiciamus. Priùs attamen (ne non *à Lare*, *qvod ajunt, inciperetur) aliqvantillum moremur apud *jugem* ac *perennem ignem*, qvi in Vestibulo custoditur. Qvem dum contemplor, hæreo annon *Græcos* in hoc qvoqve *Hebraizantes* offendam. Nam constat Hebræos sacerdotes ignem in altari qvodam jugiter aluisse, & sanctè curâsse, ne unqvam extingveretur. (a) Qvod & in *Silo* (qvamdiu *Arca* & Tabernaculum ibidem constiterint) factum, non est ut dubitemus.

* *Vide Proverbium ἀφ' Ἑστίας ἄρχου.*

(a) *Levit. cap.* VI. *com.* 12. & 13.

Hoc igitur *Græci* cùm advertissent, lege sanxerunt ut *Delphis* etiam πῦρ ἄσβεστον. i. e. *ignis inextinctus* (b) *foveretur.* Qui *ignis* (ut liqvidò sciatis, unde eum *Græci* delatum habeant) Ἑστία dicitur. (c) Non

(b) *Plutarchus in Numa.*

(c) Vestam *nihil aliud esse qvàm ipsum ignem vigilem & perennem, discas ex* Ovidio.

Nec tu aliud Vestam, qvàm vivam intellige flammam.

Eadem verò (*teste* Cicerone *lib.* 1. *de natura Deorum*) Latinis *est* Vesta, *qva* Græcis Ἑστία; ex *qva voce formatur. Solebant enim prisci* Græci (*teste* Dionysiô Halicar. *lib.* 1. *Antiq. Roman.*) *maximè* Æolos, *nominibus à vocali inci-*

Non aliud verò Ἑστία, quàm אש יה *Esch-ja* vel *Es-ja* Græcè Ἑστία i. e. *ignis Jehovæ.* Qvem Jehova scilicet *Aaroni* & *filiis suis* indies alendum præceperat. Hæc in transitu *Vestæ* litavimus; ad πολυθρύλλητον illum *Tripodem*, qvi intùs erat, contemplandum lætè ac avidè festinantes. De qvo qvid sentiam, (omnia enim summâ, qvâ potui, diligentiâ perlustravi) clarè

pientibus præponere syllabam ου *scriptam uno charactere, qvi est similis* duplici Γ, *ad rectam lineam duabus obliqvis additis: ut* Ϝελένη, Ϝανάξ, Ϝοῖκος, Ϝαυτὲ, &c. Æolicum *verò digamma, qvod* Erasmus & Glareanus *observârunt, eundem apud* Græcos *sonum habuit, qvem apud* Latinos *V consonans.*

Hinc ergò Latini (*qvi lingvam suam Æolicæ* dialecto *ferè acceptam referant*) *innumeris, qvas habent, Græcis vocibus à vocali incipientibus V consonantem præfixerunt. Unde* ἔλια *fit* Velia; Οἶνος, vinum; ἑσπέρα, Vespera; ἶς, Vis, ἦρ, Ver, ἐσθὴς, Vestis, & Ἑστία, Vesta. Ἑστία *igitur æqvè ac* Vesta *primò ignis fuit: Sed qvia* Deus *apud Hebræos* æterna lux & ignis *dici solet, aut qvia* Chaldæi & Assyrii *à qvibus* Græcia *non minimam* πολυθεΐας *partem desumpsit*) *ignem tanqvam Deum, ab antiqvissimis usqve temporibus, religiosissimè colebant: inde Græci* Ἑστίαν *qvam citò* Deam *fecerunt: cujus* vis (*ut ait Cicero*) ad aras & focos pertinet.

Est autem reverà ignis, qvi in ara perpetim fovetur: & sæpè per metonymiam prò ipsa ara accipitur. Polluc. cap. 1. lib. 1.

clarè & strictim narrabo. Sed absurdus est (inqvit *Ephorus* apud *Plutarchum*) qvi de Oraculo omnium veracissimo verba faciens, à veritate aliena, fideqve indigna profert. Ille igitur forsan ineptè audiet, qvi de Tripode loqvetur ea, qvæ certa atqve explorata non sunt. Si qvid tamen hac in re peccavero, penes rei difficultatem sit culpa. Tantâ etenim caligine circumqvaque tegitur, ut qvamvis te in omnem partem transferas, omnia rimeris, omnia colligas, qvæ de illo hactenus à qvopiam dicta sunt, nihil attamen invenias qvod non in disceptationem cadat: Tam malè inter eruditos huc usqve constitit, qvid Tripodis nomine intelligendum sit. Sunt qvi *Tripodem* sentiunt esse *vas* qvoddam *pulvere plenum*, ex qvo spiritus qvidam, enthysiasticâ vi pollens, *Pythiam* afflabat. Sic tradit *Hellanicus:* qvem citat Nat. Comes in Mythol. Alii magnum qvendam *craterem* fuisse judicant, in qvem sese velut immergere solebat Pythia.

Alii *Cellam* tribus pedibus suffultam, cui Phœbas insistens, è subjecto antro spiritum ducebat, & bacchabatur. Alii *Mensam* coriô *Pythonis* tectam. Vide

H *Nat.*

Nat. Comitem Mythol. lib. IV. cap. IV. Alii demùm Tripodem, speciem qvandam *lauri tribus radicibus* Apollini consecratam statuunt: teste *Lactantiô Grammaticô* ad hæc verba Papinii Statii Theb. I. v. 509.

Salve prisca fides tripodum ——

Tripodi verò, qvaliscunqve fuerit, grande aliqvod mysterium subesse crediderunt multi, iiqve cumprimis docti: inter qvos meritissimè censendus est ille doctorum ac curiosorum virorum Mecænas *Fabritius Peireskius*: Qvi doctos undiqve provocavit *ad differendum de incompertis qvibusdam tripodum mysteriis.* *(d)* Huic autem rei qvas faces alluxerunt eruditorum responsa, prorsus ignoro: Ego verò, si, mihi qvod in mentem venit, palàm facere, & *inter olores strepere* liceat; non modò *Tripodis*, sed & *Cortinæ* (qvam à *Tripode* distingvendam censeo) *Holmiqve* mysteria ac ortus, haud aliò ex fonte, qvàm qvô ipsum *Apollinem* conqvæsivi, (Josuæ scilicet historiâ scriptisqve sacris) petendos arbitror. *Josua enim* (prout literis mandatum est) *(e)* posteaqvàm devicisset hostes, & in ditionem suam redegisset univer-

(d) *Vide ejus* vitam *à doctissimo* Gassendo *mirâ arte concinnatam.*

(e) *Josua cap.* XVIII. *comm.* I.

ſam ferè terram Chanaan, *Tabernaculum* unà cum *Arça* ad *Schiluntem* tranſtulit: Hîc ergo, qvamdiu Tabernaculum & Arca ibidem conſtiterint, Dei *Oracula* clarè reddi, *ſacrificia* ritè peragi, *feſta* & *ſolennitates* piè celebrari ſolebant. Adeò ut Hebræi omnes (eô ipſô tempore, qvô Cadmus in Græciam venit; ut & multò poſt) *Schiluntem*, tanqvam civitatem ſacram, & Deo dilectam, maximô honore, cultu ac veneratione proſecuti fuerint. Qvocirca *Delphici*, ut ad Hebraicam planè normam ſe componerent; & *Delphos* alteram qvaſi *Silo* præſtarent; ſimiles qvaſdam Machinas efficiebant. Nempe ad ſimilitudinem *Tabernaculi*, *Cortinam*: ad *Arcæ fœderis* exemplum, Tripodem: ad umbram *propitiatorii Epithematis*, *Holmum*: ad *menſæ propoſitionis* ſpeciem, *menſam* ſimiliter inſtituebant.

Et primò ſanè *Cortinam* (contra qvam pleriqve ſentiunt) à Tripode diſtinctam fuiſſe eò confidentiùs aſtruam, propterеà qvòd doctiſſimum virum, & rei antiqvariæ peritiſſimum, *Claudium Fabritium de Peireſc* aſtipulantem habeo. At, qvòd ad *Tabernaculi* formam conſtituta

fue-

fuerit, res ipsa svadeat: Qvippe qvia nil aliud erat *Tabernaculum*, qvàm *una*, ex decem Cortinis simul junctis confecta, *Cortina.*

Præterea ut olim Tabernaculum fuit Hebræorum Templum sive Sanctuarium; ita antiqvius illud Delphorum Templum, fuit Tabernaculum: humilius certè ædificium, *tentorio* simile, & *Cortina* dictum. intelligo tamen non illud Templum, qvod à *Javanis* filiis, ut conjicitur, extructum fuit: sed qvod Græci, post *Cadmi* adventum, *Josuaqve*, vel (ut eorum utar idiomate) Παιᾶνος celebrationem atqve ἀποθέωσιν instaurabant. Qvænam verò fuerit istius Templi materia, qvalisve forma, *Graci* profectò (sive id Templo sæpiùs obruto, *(f)* sive seculo mythico, *(g)* seu potiùs utriqve tri-

(f) Templum Delphicum *sæpenumerò dirutum fuisse tradit* Pausanias *in lib.* x.

(g) Varro tria discrimina Temporum esse statuit. *Primum*, ab hominum principio ad cataclysmum priorem: quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον. *Secundum*, à cataclysmo priore ad Olympiadem primam: qvod qvia, in eo multa fabulosa referuntur, μυθικὸν nominatur. *Tertium* à prima Olympiade ad nos, quod dicitur ἱστορικὸν: qvia res in eo gestæ veris historiis continentur. *Vide Censorinum de die natali pag.* 100.

tribuendum) planè ignorare videntur. Unde ad fabulas pro more suo confugiunt, & illud modò *ex lauru* constructum; modò *ex aere* conflatum; mox ab apibus *pinnis* & *cera* confectum atqve concinnatum tradunt.

Mihi igitur, *vetus* illud *Templum* qvale fuerit, cogitanti suggessit *Varro*; qvi (in lib. VI. de Lingva Lat.) statuit *qvodcunqve est inter cœlum & terram* (sive hemisphærium) *Cortinam dici, ad similitudinem* Cortinæ *Apollinis*. Eò qvòd uti nos *hemisphærium*, sic Tripodem *Cortina* tentorii adinstar involvebat. Ideoqve *Cortinam* Apollinis, non *Tripodem* aut *lebetem* fuisse, (qvod multi volunt) sed *ædem* potiùs *tentorio* vel *tabernaculo similem* facilè credas. Qvam qvidem præthereà, non secùs ac Hebræorum Tabernaculum, *(h) coriis* olim circumtectam fuisse verisimile est. Hoc ipsum sanè paulò obscuriùs ostendit ea fabula, qvæ Cortinam coriô Pythonis obtectam refert. *(i)*

(h) *Exod. cap.* XXV.

(i) *Vide Nat. Com. Mythol. lib.* IV. *cap.* IV.

Græci enim, cùm audivissent ædem Delphico Apollini sacram pellibus olim coopertam fuisse; & populo placere, qvas de Pythone fecissent, fabulas intellexissent;

sent; has illicò pelles *corium Pythonis* extitisse (prout ipsi judicabant) haud ineptè finxerunt. De *Cortina*, ni fallor, ita se res habuit. Porrò autem sicut in Tabernaculo *Arca*; sic in Cortina *Tripus* stetit: illa vero Deo, hic ficto sacer. Tripodem voco, non qvasi vas illud in initio triqvetrum, pedibusqve tribus suffultum crederem, sed qvia vulgare nomen est; & jam nunc, à multis retrò seculis, usitatum. Tetragonum sit oportet, qvod *Arcam* simulat: talis autem figuræ machinam qvatuor pedum fuisse magis decuit. Qvin & vas illud, qvod *Pythia* conscendebat, qvatuor aliqvandò pedes habuisse testatur *Jamblichus* in lib. de mysteriis. Ut nihil obstet, qvò minùs in figura convenire dicerentur.

Adhæc, ut *Arca*, sic etiam *Tripos* aurô obducebatur. Unde Apollo fertur θεσπιοδεῖν τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου. i. e. *ambigva responsa dare ex tripode suo aureo:* (k) Accedit qvòd *Tripos* utiqve, non secùs ac *Arca*, limbô seu coronâ aureâ cingebatur. Ideoqve Apollo dicitur ἐλακεῖν ἐκ τῶν στεμμάτων. i. e. *ex coronis loqvi:* (l) ubi Scholiastes; περιφανῶς ἔστεπτο ὁ τρίπους

(k) *Aristophanes in* Pluto *ad initium.*

(l) *Aristophanes in Pluto.*

πȣς ἐφ' ȣ̓ καθῆςο ἡ Πυθία. i. e. *corona cingebatur tripos, cui insedit Pythias.*

Arcæ prorsus ἱλαςήϱιον. ἐπίθεμα *propitiatorium sedile*, qvod vernaculâ translatio reddit **mercp seat**, imponebatur: è cujus superiori parte cum propheta convenit & locutus est Deus; atqve ea, qvæ populo erant facienda, præcepit. Ex qvo Arcam *Dei scabellum* dictam legimus. 1. Chronic. cap. XXVIII. comm. 2.

Hinc igitur Græci, ut simias accuratè agerent, sedile qvoddam, posteris Ὅλμον *(m)* dictum. Tripode super imponebant; cui Pythia Phœbi πϱόμαντις insideret; & habitô qvasi divinô colloqviô, sciscitanti responsa daret. Sed ne res easdem (nam omnes, qvod sciam, *Tripodem & Holmum* putant eosdem) sine omni ratione distinxisse videar; advertas, qvæso, tripodi magnum qvendam hiatum inesse, *(n)* ex qvo spiritum velut ex inferis ascendentem *Pythia* pudendis suis sedens excipiebat: *(o)* qvod tamen à Pythia, nisi cuidam epithemati insedisset, commodè fieri non potuit.

Qvocirca, meâ qvidem sententiâ, Tripus sive inferior ista machina, Pythiæ scabellum fuit; & Holmus, sedile. Forsan

(m) Vide Schol. in Aristoph. Plutum.

(n) Ttzetzes in Lycophronem pag. 205. Edit. Paul. Steph.

(o) Scholiast. in Aristophanis Plutum.

san attamen non vas illud majus & inferius, (qvod ad Arcæ similitudinem factum duxi) sed ὅλμος ei impositus, reverâ tripos fuit: atqve eô nomine potiùs insigniri debuit. Nunqvid autem mysterii sub tripode latuerit? ecqvid religionis insit in eo pedum numero? alii sanè commentantur alia. Nec desint fortè qvi ipsam *S. S. Triada* sub eo intelligi somnient. Ethnicis certè antiqvissimis haud ignotum fuisse *Trinitatis* mysterium pluribus argumentis, ex *Hermete Trismegisto, Orpheo, Hydaspe, Pythagora, Platone* & *Platonicis, Sibyllinis* versibus, atqve *Apollinis Oraculo* sumptis, elucidare conatus est doctissimus *Steuchus Eugubinus*: (p) ad qvem refero lectorem. Suidas autem *Trismegistum* sic appellatum tradit, qvia de *Trinitate*, qvôdam divini spiritus instinctu, locutus sit.

(p) *In lib. de perenni philosophia.*

Ἑρμῆς (inqvit) ὁ Τρισμέγιστος ἦν Αἰγύπτιος σοφός· ἤκμασε δὲ πρὸ τοῦ Φαραώ. ἐκέκλητο δὲ τρισμέγιστος διότι περὶ τριάδος ἐφθέγξατο, εἰπὼν ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα· οὕτως ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ, καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς νοὸς φωτεινὸς, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ τούτου ἑνότης· καὶ πνεῦμα πάντα περιέχον· ἐκτὸς τούτου οὐ θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐκ οὐσία τις ἄλλη.

πάντων γὰρ Κύριος ὁ πατὴρ, καὶ θεὸς· καὶ πάντα τὰ ὑπ' αὐτὸν, καὶ ἐν αὐτῷ ἐστίν. ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ παντέλειος ὢν καὶ γόνιμος, καὶ δημιουργὸς ἐν γονίμῳ φύσει παῖς ὢν, καὶ γονίμῳ ἐγκύσει τὸ ὕδωρ ἐποίησε. καὶ ταῦτα εἰρηκὼς ηὔξατο λέγων. ὁρκίζω σε οὐρανὲ θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον. ὁρκίζω σε φωνὴν πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρώτην, ἡνίκα τὸν πάντα κόσμον ἐστηρίξατο· ὁρκίζω σε κατὰ τοῦ μονογενοῦς λόγου καὶ τοῦ πατρὸς τοῦ περιέχοντος πάντα, ἵλεως ἵλεως ἔσω. i. e. *Mercurius ter-maximus erat sapiens Ægyptius. Floruit autem ante* Pharaonem. *Vocatus autem fuit ter-maximus, quod de* Trinitate *locutus fuit; dicens in Trinitate unam esse Deitatem. Sic fuit lumen intelligens ante lumen intelligens, & fuit semper mens mentis lucida; & nihil aliud fuit huius unitas. Et spiritus omnia continens. Extra hunc non Deus, non Angelus, non ulla alia essentia est. Omnium enim est Dominus, & Pater, & Deus, & omnia sub ipso, & in ipso sunt. Nam ipsius sermo, qui est undique perfectus, & fœcundus, & opifex, in fœcunda aqua puer existens, & fœcunda aqua aquam fœcundam fecit. His autem dictis hæc precatus est. Obtestor te cœlum magni Dei sapiens opus. Obtestor te vocem Patris, quam locutus est primam,*

qvum omnem mundum firmavit. Obtestor te per unigenitum Sermonem, & Patrem omnia continentem, propitia propitia esto mihi.

Hæc *Suidas:* an autem genuina sint ea scripta, qvæ *Trismegisto* passim tribui solent; aut testimonia qvæ de *Triade* ex Antiqvis afferuntur, ad ipsam qvadrent, penes eruditos, illôqve argumentô præsertim benè versatos, esto judicium. Qvid si tres istæ literæ י ו ד qvæ pedes, idqve multò magis qvàm manus, *(q)* referunt, & apud Assyrios aliqvandò *Elohim* significant, tribus istis pedibus, qvibus sacra ac vaticinatrix ista Sella innitebatur, occasionem dederint. Vel fortè nihil aliud eô pedum numerô prorsus intelligendum sit, qvàm superstitiosa qvædam Gentium opinio, qvæ *ternarium numerum* prout omnium perfectissimum *(r)* ita Deo gratissimum semper

(q) *Qvippe* יוד iod *vel* יד iad *est* manus *&* pugnus: *qvem litera* Iod *refert ut inqvit Schindlerus, in Pentaglot.*

(r) *Nam* Tria *sunt omnia*; *&* *ter omnino*, καθάπερ γὰρ φασὶ καὶ οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα, τελσὶν ὥρισαι· τελευτὴ γὰρ καὶ μέσον, καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τὸν τοῦ παντός· ταῦτα δὲ τὸν τῆς τριάδος. *i. e.* Nam, ut Pythagorici etiam inqviunt, ipsum omne ac omnia tribus sunt definita. *Finis* enim, *Medium*, atqve *Principium* ipsius *Omnis* numerum habent: hæc autem *Trinitatis*. Qvapropter hoc à Na-

per exiſtimabant; eumqve idcircò πρὸς τὰς ἁγιστείας τῶν θεῶν *ad Deorum ſacrificia celebranda adhibuerunt.* teſte Ariſtot. de Cœlo lib. 1. cap. 1. Unde *Chaldai* atqve *Æthiopes* thure, aurô, myrrhâ; *Græci* igne, hoſtiâ, arâ; *Alii* thure, igne, & precatione Deum venerati ſunt. Qvò ſpectat illud in Theocriti Pharmaceutria.

Ἐς τρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ

Ter libo, terqve hæc pronuntio myſtica verba

& illud

—— *Numerô Deus impare gaudet.*

Græci, inqvam, illa opinione ducti, machinam iſtam ſive ſellam Deo dicatam, tribus hiſce pedibus ſacratiorem reddere ſtuduerunt. Niſi forſan Apollini *tripodem* propterea conſecraverint, ut myſticô qvôdam modô notarent tria iſta tempora de qvibus Oracula peti ſolerent.

Qvip-

tura numero ſumpto, perinde atqve qvâdam illius lege, & in Deorum ſacrificiis celebrandis uti ſolemus. Aſſignamus inſuper & appellationes hôc modô: duo enim ambo dicimus; & duos ambos atqve utroſqve, non omnes: at de tribus hanc appellationem dicimus primò *Ariſtoteles in lib. 1. de Cœlo, cap. 1.*

Qvippe penes notitiam Vatis ſunt τά τε ὄντα, τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα. *Qvæ ſunt, qvæ venient poſthac, qvæ præterierunt.*

Qvin & *divinatio* ipſa, Græcorum ſententiis, eſt τέχνη περὶ τὸ μέλλον ἐκ τῶν παρόντων, ἢ παρῳχημένων. * i. e. *Ars circa futura ex præſentibus vel præteritis. Nullius enim rei ortum putabant ſine cauſa; vel ſine ratione prænotionem: Sed cùm præſentia præteritis, omnia futura præſentibus annexa ſint, & alterum ex altero, progreſſu ab initio ad finem pertendente, conſeqvatur; is qvi naturali ratione cauſas intuetur atqve inter ſe contexit, prædicere valeat. Nam è connexi natura ducitur ratiocinatio. Si hoc eſt, illud præceſſit: Et ſi hoc eſt, iſtud fiet. Artificioſa etenim res eſt, & ab humana proficiſcitur ratione cognitio conſeqventiæ.* Unde *Theo* apud Plutarchum † non veritus eſt aſſerere *Tripodem* nihil aliud eſſe qvàm *ſyllogiſmum qvô Vates, poſitâ antecedentis ſeqvelâ, rem extantem aſſumit; & concluſionem demonſtrationis infert.* Sed de Tripode nimis multa. De qvo tria verba tantum dixiſſe ſi non religioſius, certè lectori gratius exiſtimaverim.

* *Vide* Plutarch. *in* ει *apud Delphos.*

† *Locô jam citatô.*

Demum ſicut in Tabernaculo *Menſa*

fuit longitudine duûm cubitorum, latitudine unius; altitudine palmorum trium. Ita etiam in Templo Delphico similis extabat: mihi testis adstat *Josephus* qvi in lib. III. Judaic. antiqv. cap. VII. hæc loqvitur ἐν δὲ τῷ ναῷ τράπεζαν ἱδρύεται Δελφικαῖς παραπλησίαν. i.e. *in fano autem* (Moses) *mensam collocavit, Delphicis non absimilem.* Non qvòd illa ad Delphicæ, sed Delphica mensa ad illius exemplum composita fuerit. Huc usqve qvàm similes *Schilunti* fuerint *Delphi* commonstravimus. Qvæcunqve tamen à me dicta ac commentata sunt, non ita accipi vellem, qvasi eadem *à Tripode* prolata existimâssem: non enim mihi visa sunt adeò luculenta & perspicua: Illa tamen ejusmodi censeo, ut me, si ipsam veritatem minùs attigerim; ejus umbram saltem cominus seqvutum fuisse *credat Judæus Apella.*

CAD-

CADMUS JOSUAM GRÆCIÆ PRÆDICABAT.

CAP. XII.

Cadmus *Josuæ* coætaneus. *In Græciam* colonias *unaqve* literas, attulit (Καδμήια γράμματα. ἐκφοινίξαι. Literæ Phœniciæ *Græcis usitatæ usqve ad* Trojani *belli tempora. v. not.*) Cadmus *cur* Serpens *fingebatur.* Cadmus Gibhonita; *&* Josuæ *encomiastes.* Judæi Phœnices *dicti à Græcis.* Lacedæmonii *colonia* Judæorum: *Iidem* de genere Abrahami; *qvomodo.* Vox Λακεδαιμόνιοι *fit ex* Hebræa לקדמני *Lecadmoni q. d. Cadmei. Conjicitur* Hebræos *qvosdam* Cadmum *secutos fuisse in Græciam: Cur. & qvo tempore.* Cadmus *in Palæstina* gymnasiis *educatus.* Cadmus *vel* Ducem *sonat*, *vel* Palæstinum. *Palæstina olim* Kedem *dicta, Cur.* Noa Ogyges. *Ab ipso regio circa* Hebronem Ὠγύγη *dicitur.* Noa *statim post diluvium civitatem*

fuit longitudine duûm cubitorum; latitudine unius; altitudine palmorum trium. Ita etiam in Templo Delphico ſimilis extabat: mihi teſtis adſtat *Joſephus* qvi in lib. III. Judaic. antiqv. cap. VII. hæc loqvitur ἐν δὲ τῷ ναῷ τράπεζαν ἱδρύεται Δελφικαῖς παραπλησίαν. i.e. *in fano autem* (Moſes) *menſam collocavit, Delphicis non abſimilem.* Non qvòd illa ad Delphicæ, ſed Delphica menſa ad illius exemplum compoſita fuerit. Huc uſqve qvàm ſimiles *Schilunti* fuerint *Delphi* commonſtravimus. Qvæcunqve tamen à me dicta ac commentata ſunt, non ita accipi vellem, qvaſi eadem *à Tripode* prolata exiſtimâſſem: non enim mihi viſa ſunt adeò luculenta & perſpicua: Illa tamen ejuſmodi cenſeo, ut me, ſi ipſam veritatem minùs attigerim; ejus umbram ſaltem cominus ſeqvutum fuiſſe *credat Judæus Apella.*

CAD-

CADMUS JOSUAM GRÆCIÆ PRÆDICABAT.

CAP. XII.

Cadmus *Josuæ* coætaneus. *In Græciam* colonias *unaqve* literas attulit (Καδμήια γράμματα. ἐνφοινίξαι. Literæ Phœniciæ *Græcis usitatæ usqve ad* Trojani *belli tempora. v. not.*) Cadmus *cur* Serpens *fingebatur.* Cadmus Gibhonita; *&* Josuæ *encomiastes.* Judæi Phœnices *dicti à Græcis.* Lacedæmonii *colonia* Judæorum: *Iidem* de genere Abrahami; *qvomodo.* Vox Λακεδαιμόνιοι *fit ex* Hebræa לקדמני *Lecadmoni q. d. Cadmæi. Conjicitur* Hebræos *qvosdam* Cadmum *secutos fuisse in Græciam:* Cur *& qvo tempore.* Cadmus *in Palæstinæ* gymnasiis *educatus.* Cadmus *vel* Ducem *sonat*, *vel* Palæstinum. *Palæstina olim* Kedem *dicta, Cur.* Noa Ogyges. *Ab ipso regio circa* Hebronem Ὠγύγη *dicitur.* Noa *statim post diluvium civitatem*

Themanin *extruxit: postea* Palæstinam *repetebat.* מקדם Mikkedem *Qvid?*

Anteqvàm te, candide Lector, ad illud qvod,

Martial. Ep. VI. lib. II.

Lectis vix tibi paginis duabus
Spectas, ἐσχατοκωλικὸν ——

perducam, non abs re fore duco breviter explicare qvô primùm tempore, qvibusqve modis innotuit Græcis celebris illa de rebus *a Josua* patratis historia. Nonnulla fortassis ex ipsa S. S. Scriptura desumpserunt: primam verò *Josuæ* notitiam *Phœnicibus* acceptam referunt. Illi enim, vel vivente adhuc *Josuâ*, vel non ita pridem mortuô, patriâ suâ, duce *Cadmô*, migrabant; & ad Græciam appellebant: ubi sedes locabant figebantqve. Qvippe *Phœnicius* ille *Dux*, qvem prisci *Cadmum* (nomine, prout infrà dicitur, *appellativô*, non *propriô*) vocabant, ipsis Josuæ temporibus vixit. *(a)* Ille autem, teste Herodotô in Euterpe, colonias è Phœnicia in Bœotiam duxit; atqve etiam Græciæ non viros tantùm, sed & lite-

(*a*) *Vide Eusebii Chronic. pag.* 11.

literas (*b*) ac doctrinas intulit; unaqve Josuæ victorias, aut primùm notas fecit, aut plenius, & expressius enarravit. Recens adhuc & calida fuit eorum memoria qvæ gesserat ille *Typhonis* seu *Ogi* victor.

Hunc ergo *Cadmi* comites sermonibus suis versant indies, & extollunt; crebrisqve de eo narrationibus *Græcorum* aures atque animos, novi plus satis avidos, pascunt: atqve in summam tanti Herois admirationem ducunt rapiuntqve. Ain' verò? *Cadmumne* de *Josua* benè

(*b*) *Videsis* Tacitum *lib.* XI. Clementem Alexandrinum *lib.* I. *Stromatum.* Plutarchi Symposiaca *lib.* IX. *qvæst.* 2. & 3. Victorinum *lib.* I. *cap. de orthographia. Hinc igitur Græcæ literæ dici freqventer solent* φοινικήϊα καὶ Καδμήϊα γράμματα Phœniciæ & Cadmeæ literæ. *Ut &* Cadmi nigellæ filiæ: *apud Ausonium in Epist.* 5. *Hinc etiam* ἐκφοινίζειν Phœnicissare, *est* ἀναγνῶσαι legere. *Hesychius. Qvo primum tempore literæ, qvas in Græciam Phœnices attulissent, à primigenia figura desciverunt, mihi non liqvet: illas autem usqve ad Belli Trojani tempora Græcis usitatas fuisse probatur ex* Dicty Cretensi: *qui in l. de bello Trojano sic scribit:* singuli in tabellis, qvas ad delegendum belli principem, qvi cuiqve videretur, acceperant, *Punicis* literis nomen Agamemnonis designant. Ita consensu omnium, secundô rumore, summam belli atqve exercitus in se suscepit.

benè sentire, ejusqve victorias exteris venditare? eumne Phœnicum præconiis efferri, qvi *Phœnicas* omnes vel delevit; vel patriô solô fugavit? vel (qvod eodem ferè recidit) ad angustias & incitas adegit? absonum prorsus: hic ergo scrupulus, qvi multos alioqvi vel altè suspendat, vel in contrarias abstrahat, qvàm citò animis nostris eximendus est: Qvod qvidem, postqvam *Cadmi* genus & patriam designaverim, facilè confectum dabo. *Cadmum* sanè multi è *Tyro*; multi è *Sidone* deducunt: Hi ex *Ægypto*; (c) illi ex *Phœnicia* oriundum statuunt. Sunt qvi *regem*; (d) sunt qvi *coqvum* fuisse (e) tradunt. Usqve adeo incerta res est, cujus sortis fuerit, aut ubinam gentium vel locorum natus esset. Cùm verò Græcorum fabulæ ex *Phœniciarum* vel *Hebræarum* vocum significationibus oriri freqventer solent. (qvod *Vossius* in l. de Orig. & prog. idololat. & *Bochartus* in Geograph. sacra plenè & eruditè probant.) Græci profectò, dum *Cadmum* Serpentem fingunt, *Hevæum* fuisse paulò obscuriùs ostendunt. Qvippe qvia חויא *Hevæus* (ex observatione Cl. Bocharti) Syris est *Serpens*. Verumenimvero *Cadmum*

(c) Euseb. Chronic. l. 11.

(d) Euseb. Chronic. l. 11.

(e) Athenæ. lib. XIV.

mum non ab illis *Hevæis*, qvi sub monte Hermone habitabant (qvod doctissimo *Bocharto placuit*) & inter *Amorrhæos*, qvos profligavit *Josua*, recensentur, sed ab illis, qvos aliter *Gibbonitas (f)* vocant, (f) Jos. oriundum statuo. Ita igitur rem expe- cap. IX. dio. *Cadmus* etiamsi *Cananæus* seu *Phœ-* com. 7. *nix* esset; ac ea ratione animum Israëlitis infensum atqve inimicum gesserit; at qvia *Hevæis, qvi pacem fecerunt cum filiis Israël, (g)* prognatus esset, de Josua be- (g) Jos. nè & honestè cogitavit: & honorificè XI. 19. (prout æqvum fuerit) locutus est. Josua enim humaniter & gratiosè tractavit *Hevæos* sive *Gabaonitas*; qvos non sibi & Israëlitis (prout haud iniqvè potuisset) sed *Deo* servos reddidit: ἀλλ᾽ οὔτε Γαβαωνῖται, ὥς τινες ὑπενόησαν, ἐδούλευσαν αὐτοῖς· ἀλλὰ τῷ θεῷ ἐδούλευον. ξυλοφόρους γὰρ καὶ ὑδροφόρους τῷ ναῷ τοῦ θεοῦ αὐτοὺς κατεστήσαντο, οὐ γὰρ ἑαυτοῖς· *nec Gabaonitæ, uti nonnulli censuerunt, illis* (nempe Israëlitis) *servierunt, sed Deo ministrarunt. Nam materiarios seu lignatores & aqvarios ad usum Templi Dei, non sibi constituerunt.* Auctor Chronici Alexandrini pag. 51.

Adhæc, cùm Josua propugnasset Hevæos, eosqve ab Amorrhæis tutatus esset,

ſet, ingratè admodum à Cadmo delictum erat, ſi non illius victorias ſummis aſſiduè laudibus atqve præconiis extuliſſet: præſertim cùm laudes ejus & encomia ad Hevæos etiam redundaverint: Qvippe victoriæ *Iſraëlitarum*, qvi à partibus *Hevæorum* contra Amorrhæos ſtabant, ad ipſos aliqvô modô pertinebant. Qvid ſi aliqvis ſtatuat honeſtiorem, qvàm de Joſua Græci conceperant, opinionem, non tam *Phœnicum*, qvàm *Hebræorum* narrationibus deberi? Certè Judæos etiam (qvibus portus apti ſatis & commodi fuerunt) mercaturam ſub Phœnicum nomine exercuiſſe veriſimile eſt. Illi autem, dum ob merces emendas vendendaſqve in Græcia moram faciunt, indicta dictant: falſa refellunt, depravata corrigunt: atqve integram *Joſuæ* hiſtoriam, non ſine maximis ejus encomiis, enarrant ac deprædicant. *Judæos* autem Phœnices appellari liqvet ex *Herodoto (h)* tradente *in Palæſtina circumcidi qvòſdam Phœnicum*. Et ex *Ariſtophane*, qvi (in Avibus) Phœnicas ψώλους vocat: cùm tamen exploratum ſit nullos ex illa gente circumciſos fuiſſe præter *Judæos*: teſte Joſephô in Antiqv. hiſtor. lib.

(h) In Euterpe.

lib. VIII. cap. IV. *Hebræos* demum *Phœnices* dictos facilè credat, qvisqvis totam *Palæstinam* Φοινίκην (i) dici; & vel *Casium* montem, & *Rhinocoruram* in Phœnicia poni (k) secum perpendit.

Immò sanè parum obstat, qvin verecundiùs opinemur Hebræorum nonnullos haud uti ἐμπόρους tantùm volitasse per Græciam, sed & in ea velut ἐποίκους consedisse. Eorum nempe coloniam qvandam in *Peloponesum* deductam fuisse vero perqvàm simile videtur: ibi enim Lacedæmones habemus sese Hebraicæ originis esse prædicantes: Judæos fratres, & Abrahamum patrem suum palam confitentes. Ut auctor historiæ Machabæorum, non contemnendus scriptor, refert in lib. I. c. XII. com. 21. ubi rex Lacedæmonis *Areus* in literis ad *Oniam* sic loqvitur: εὑρέθη ἐν γραφῇ τινὶ περὶ τῶν Σπαρτιατῶν καὶ Ἰουδαίων ὅτι εἰσὶν ἀδελφοί, καὶ ὅτι εἰσὶν ἐκ γένους Ἀβραάμ: *inventum est in Scriptura qvadam de Spartiatis & Judæis, qvòd sunt fratres, & qvòd sunt ex genere Abrahami.* Possit, eqvidem scio, eorum necessitudo & consangvinitas altiùs, ab ipso *Esavo*, repeti: idqve ex auctoritate *Eutychii Patriarchæ Alexandrini;*

(i) *Vide Steph. de urbibus in* Ἰόππη.

(k) *Strabo lib.* XVI.

drini; qvi in Annalibus *(l)* hæc habet

وتزوج من بنات كنعان امراة
يقال لها عدا ابنة الون الحيثي
وتزوج من بنات الروم وتناسل
فيهم

id eſt, *& duxit* (Eſau) *è filiabus Canaan fœminam nomine* Ada, *filiam* Elon Hittæi: *nec non & è filiabus* Græcorum, *unde illi inter ipſos progenies.* Verum enimverò *Lacedæmonios* ex iis potiùs qvi *Cadmum* ſecuti ſunt in Græciam, natos arbitror. Qvid aliud enim præ ſe ferat nomen, Λακεδαιμόνιοι, qvàm קדמני *Cadmoni?* huic enim præfixô ל fit לקדמני *Lecadmoni.* Græcè Λακεδαιμόνιοι, i. e. *Cadmæi.* Eorum nempe colonia, qvi in *Bœotiam* venerant. Hinc igitur illam neceſſitudinem & conſangvinitatem qvæ *Spartiatas* cum *Judæis* conjunxit, repetere lubet.

Satin' verò ſanus es, inqviet aliqvis, qvi hæc ita commentaris? Cadmumne *Judæorum* ductorem fuiſſe ſomnias? Ferè eqvidem adducor ut credam qvamplurimos ex iis, qvos *Cadmus* in Græciam duxit, *Hebræos* fuiſſe: qvi qvoniam in

(l) Pag. 81. edit. Oxonien.

in Arabiæ deserto, dum Israëlitæ ibidem commorati sunt, nati fuerint; *Arabes* aliqvô modô * dicerentur: Unde fit, ut *Cadmus* apud Strabonem lib. x. *Arabes in comitatu suo habuisse* memoretur. Israëlitas verò credamus terram *melle & lacte fluentem*, & sibi suisqve promissam deseruisse, *ut Gibbonitam* qvendam maledictum servumqve, servorum adinstar ipsi seqverentur? Ita sanè: Nec mirum videatur, qvòd *Hebræi* qvidam, *Gabaonitæ* sive *Hevæi* cujusdam ducatui se subdiderint, cùm priùs *Hevæorum* diis se mancipâssent: adde, qvòd arcta eos necessitudo conjunxerat; qvalis non populares solummodò, sed & consangvineos annectit. *Accipiebant enim filias Hevæorum sibi in uxores, & filias suas dabant filiis eorum; & demum colebant Deos eorum.* Jud. cap. III. comm. 6. Qvocirca (si conjecturam facere liceat) dum *Chuschanis Rischbathajimorum* tyrannide & jugo vexati fuerunt *Israëlitæ* simul & *Hevæi*; multis auctor fuit *Cadmus* ut solum verterent; atqve novas sedes, unà cum libertate si non & dominio, sibi conqvirerent. Nec fuit *Cadmus* ad ducendas colonias minùs aptus, qvàm ad

* *Eôdem jure, qvô* Ægyptii *dicuntur apud Strabonem l.* XVI.

evocandas potens: —— *Et dicere promptum & facere* (erat) *isti.* Vir scilicet in *Palæstinæ* gymnasiis, *Hebrone* puta & *Debirô*, liberaliter educatus, adeoqve belli ac pacis artibus instructus fuit. Ut ex Auctore Anonymo (qvi *Thebaica* versibus edidit, & à *Michaële Nicandro* publici juris factus erat) rectè colligas: ita enim canit

> Ὡ δὲ Παλαιστίνης μὲν ἀπὸ χθονὸς ἔλθεν Ἀχαιοῖς
> Ἰδμοσύνη; φοίνιξ δ᾽ μὲν Ἑλλάδι Κάδμος ὄπασσε
> Θρεφθεὶς ἐν λογίοισι Παλαιστίνης περάτεσσι.
>
> *Sic Palæstina à terra venit Achivis*
> *Scientia. Phœnix vero hanc Græciæ Cadmus præbuit*
> *Educatus eruditis in Palæstina finibus.*

Cadmum igitur sic dictum censeo; *vel* qvia Princeps eorum fuit, qvi in *Bœotiam* venerunt: (*Cadmus* enim *ducem* vel *principem* sonat à קדם Kadam, *præcessit, anteivit*: cui consonum est *Arabicum* قدم *Kadama*; unde قدم vel قدام Kedmon vel Kedâmon *dux & princeps*.)

Vel

Vel qvia *Palæstinus* fuit. Nam Palæstina olim, ni fallor, *Kedem*, id est, *Antiqvitas* sive *Antiqvissima* dicebatur; propterea qvòd à Patriarchis inhabitata fuerit. Hanc enim regionem magnus *Adam*; hanc *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob* incolebant: & in ipsa demum sepulti fuerunt. Vid. Divum Hieronymum de locis Hebraicis: & Petrum Comestorem in Gen. cap. XIII. Ager verò, qvem incolebant, fuit juxta *Hebronem*. Inde *Hebron* dicitur *Kiriath Arba* id est (secundum nonnullos) *civitas Qvatuor (m)* scilicet *Patriarcharum*. Hîc etiam *Noam habitâsse* consentaneum est: ab illo enim, tanqvam regionis istius incolâ & dominô, ager, qvi est juxta *Hebronem*, dicitur Ὠγύγη. Josephus in Judaic. antiqv. Ἄβραμος μὲν κατῴκει περὶ τὴν Ὠγύγην καλουμένην δρῦν. ἐστὶ δὲ τῆς Χαναναίας τὸ χωρίον, οὐ πόῤῥω τῆς Ἑβρωνίων πόλεως. id est *habitavit Abraham juxta Ilicem, qvem vocabant Ogygem: est autem* (Ogyge) *ager sive regio Chananaæ, non procul ab Hebrone.* A qvo verò regionem istam nuncupari credamus potiùs qvàm à *Noa*, qvem omnes priscum *Ogygem* vocabant. Testor *Xenophontem* de æqvivocis: Noam prorsus

(m) *Sed qvàm inscitè, constabit ex Jos. c.* XIV. *comm.* 15. & XV. *com.* 13. *vide Sixtin. Amam. Antibarb. biblicum.*

ſus illô ipſô cognomentô inſignitum fuiſſe vel ex eo liqvet, qvòd prior ille cataclyſmus, qvi ſub *Noa* contigit, *Ogygius* dici ſolet. Cenſorinus de die Natali cap. XXI.

Hîc obiter qværat aliqvis, an *Noachus* ante diluvium in Palæſtina vixerit? abſit ut in re tam obſcurâ qvicqvam temerè affirmarem. qvod tamen opinatus ſum; paucis accipite.

Vid. infra p. 152.

Noa, poſt exſiccatas à diluvio terras, ex arcâ egreſſus eſt; & *pagum* qvendam dictum *Themanin* (id eſt, τῷ ὀκτὼ (nam ثمانين *Themânin* apud Arabes *octo* ſignificat) ab illis octo, qvi ex *Arca* egreſſi ſunt) in rem ſuam præſentem fundavit. Auctor eſt *Eutychius Patriarcha Alexandrinus* (n) فلما خرجوا بنوا مدينة وسموها ثمنين على عددهم اي نحن ثمانية نفس id eſt, *cúmqve egreſſi eſſent, urbem extruxerunt qvam* Themanin *appellârunt juxta numerum ſuum,* qv. d. *Nos* octo *ſumus:*

(n) *In Annalibus p. 43. Edit. Oxonienſis.*

Hunc pagum κώμην Θαμανῶν vocat *Agathias* lib. IV. videſis *Elmacinum* in lib. I. cap. I. hiſtor. Saracen. Porrò pagus

gus iste lingvâ Aramæâ (si modò sit fides *Georgio Armeno* apud *Annium*) dicitur *Sale-Noa*, hoc est, ipso interprete, *exitus* sive *egressorium Noæ*: Græcè ἀποβατήριον. de illo enim loco Josephus: ἀποβατήριον τὸ τόπον τοῦτον Ἀρμένιοι καλοῦσι: *hunc locum* exitum *vocant Armenii*.

Noa igitur aliqvandiu circa montes *Armeniæ*, ubi Arca consedit, *(o)* moratus est. Qvamprimum verò id commodè fieri potuit, se ad iter composuit; ut patriam suam, non exiguô intervallô distantem, repeteret. Qvippe

> *Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos*
> *Ducit: & immemores non sinit esse sui.*

Noam certè ad avitas sedes & patrium solum (qvàm citò fieri potuit) contendisse verò consentaneum est: ubinam verò gentium fuerit ejus patria hactenus, inqvies, incompertum est. Haud infiteor: illum tamen adiisse *Palæstinam*, & in ea aliqvam vitæ suæ partem degisse non malè colligas à nomine regionis istius qvæ (ut suprà dictum, *pag.* 145.) Ὠγύγη nuncupatur. Illa enim tum *Noæ*, tanqvam Domini, titulum sibi injustum

(o) Vide Eutychii Annales, pag. 141. & Cl. Bocharti *Phaleg.* l. 1. cap. 111. ubi id plenè & doctissimè probatum habes. Conf. infra p. 151. f.

 gerit;

gerit; tum Patriarcharum ſedes à Deo conſtituta videatur.

Denuò ſi non *Adamus* ſolummodo, ſed & *Japhetus*, (p) *Semus*, (q) & *Chamus*, (r) ut tradunt, in Palæſtina vixerint, & civitates extruxerint; cur non id ipſum de Noa ſentire liceat. Nec deſunt qvidem qvi ipſum Noam ante diluvium in terra *Chanaan* habitâſſe referunt. Ita ex *Jacobo* Orrohaitâ tradit *Moſes Barſepha*, lib. I. de Paradiſo, *cap.* XIV. Huc igitur *Noa* poſt cataclyſmum delatus eſt. Hîc liberis creandis inſtituendiſqve ſe dedit: hîc plantandarum arborum, nec non agriculturæ rationes docuit.

(p) Schinl. Pentagl. rad. יפת.
(q) Iſid. Orig. lib. XV. cap. I.
(r) R. Selomo in Joſ. à Cl. Bocharto citatus.

Poſtqvam verò in immenſum auctus erat hominum numerus, *potens iſte Venator coram Jehova*, Nimrodus, imperii atqve dominationis œſtrô percitus, ingentem ſecum multitudinem hinc abduxit: & in convallem *Schinharis* profectus, ibi conſedit. Ita igitur explicandus mihi videtur ille locus, *Gen. cap.* XI. *comm.* 2. *Evenit qvum* מקדם *mikkedem*, id eſt *à Kedem* nempe Palæſtinâ) *profecti eſſent, ut invenirent convallem in terra Schinharis, in qva conſederunt.* Mikkedem nonnulli reddunt ἀπ' ἀρχῆς

ab initio. Sed qvàm frigidè judex esto Cl. Bochartus *lib.* I. de dispersione Gentium *cap.* VII. Alii idcirco vertunt, *ab Oriente:* Sed cùm montes *Ararat* (id est *Gordyæi*) nec non *Palæstina* ejusmodi situm habuerint, ut terram Schinnaris ex Oriente non respicerent: nec ab *Armenia* vel à Palæstinâ ad Babyloniam profecti, versus Occidentem tendant; Mikkedem *ex Oriente* reddi non potest: at potiùs, ut proprium nomen, à *Kedem (s)* scilicet à *Palæstina* vel *Chananæa.* Huic commentationi fidem faciat locus, *Gen. cap.* XIII. *comm.* 11. & 12. ubi *Lotus* dicitur proficisci *mikkedem* id est, non *ab Oriente* (qvippe *Jordanis* & *Sodomæ* situs respectu Bethelis, à qva *Lotus* recessit, Orientalis fuit) sed à *Kedem* nimirum à *Palæstina* vel *Chananæa.* Decessit enim *Lotus* è terra *Chanaan:* ut colligere est ex locis citatis, ubi postqvam *Lotus* & *Abrahamus* alter ab altero seperati essent, ἁγιογράφος hæc subjunxit, *Abrahamus habitabat in terra Chananæa; Lotus verò in civitatibus planitiei* (nempe qvæ erat circa Jordanem, qvæqve ad rempublicam Sodomitanam pertinebat) *movens tentoria Sodomam usqve.* Hæc au-

(s) Non me latet illa expositio qvæ *Mikkedem* reddit *versus orientem.* Qvæ tam Grammaticæ qvàm Geographiæ satis consentanea est: sed an verior & luculentior fuerit, cordatus Lector judicet.

autem verba (si rectè intelligam) Cananæos à Sodomitanis (in regione felici admodum mediòqve Jordane irriguâ sitis) distinguunt: adeoqve terram Canaan à Sodomitana ditione (prout loqvuntur) exclusivè terminatam probant. Est igitur *Kedem* proprium nomen *regionem* designans *ab antiqvissimis inhabitatam*, nempe *Palæstinam*. Unde *Phœnicius* sive *Palæstinus* ille dux, qvem *Cadmum* vocant, (si non prior conjectura proprius à veritate abfuerit) nomen accepit.

Habes hîc (candidissime Lector) Delphica mea commentaria; non minùs juvenilia, fateor, qvàm παραδοξολόγα. Qvæ tamen haud sine modestioribus illis adverbiis, ἴσως καὶ τάχα, proferri videas. Adeo ut non verear, ne mihi inuratur illud vitium, qvod juvenibus per qvàm familiare est & (Aristotele teste) ferè proprium, πάντα εἰδέναι οἴεσθαι, καὶ διϊσχυρίζεσθαι. i. e. *videri sibi omnia scire, & asseverare.* Scientis est aliqvid certò statuere, & peremptoriè definire: Qvi verò omnium, qvæ apud Delphos erant, origines & mysteria maximè callere videatur, nec *sciens* est (cùm illa nisi per caliginem maximam cerni non possint) nec *proximus scienti*; sed (ut verbis utar Ciceronianis) *magnus opinator.*

FINIS.

DIA-

DIATRIBA


DE

NOÆ IN ITALIAM ADVENTU;

EJUSQVE NOMINIBUS ETHNICIS.

SIVE

APPENDIX *in qvo multa, qvæ in* DELPH. PHOENIC. cap. IX. pag. 77. *breviter admodum perstricta sunt, fusiùs & dilucidiùs enarrantur.*



OA, qvamprimùm ex Arca (post exsiccatas à diluvio terras,) egressus esset, in illis ipsis montibus (qvos Hebræi אררט *Ararat:* Arabes جبال اقّروب *montes Korud:* Berosus Κορδυαίως: *(a)* & Latini *Cordyæos* vel *Gordyæos* vocant) ubi Arca substitit, pagum qvendam, no-

Gen. VIII. 4.

(a) Apud Joseph. Antiq. lib. I. c. IV.

mine *Themanim*, exſtruxit. *(b)* Hîc tamen haud diu moratus eſt; ſed, qvàm citò id commodè fieri potuit, patriam ſuam nempe *Palæſtinam*, (à qva fluctuum agitatione, Arcæqve vehiculô translatus erat) repetebat: & illam regionem, qvæ nunc *Hebroni* adjacet; & ab ipſo (qvod infrà pleniùs elucidabitur) Ὠγύγη dicitur, incolebat: donec *vel* orta ex hominum multitudine neceſſitas, *vel* totum terrarum (qvas aqvæ depopulârant) orbem recolendi ſtudium, de vertendo ſolo, coloniiſqve qvoqvoverſum ducendis conſilia fecerat.

(b) Vide Del. Phœnic. p. 146.

Hinc igitur in diverſa migratum: Hi in *Africam*, illi in *Europam*, non ſecus ac apum examina, convolabant. *Semus*, etiamſi qvamplurimos in regiones diſſitas amandaverit, ipſe tamen in *Palæſtina* ſive *terrâ Cananæâ* ſedem fixit: ubi tanti honoris vel imperii fuit, ut terra *Canaan* ab ipſo ارض الشام *Terra Shámi* diceretur. vid. Eutychii Alexand. Annales, pag. 54. & 65.

Chamus autem in terram, qvæ nunc *Ægyptus* vocatur, deceſſit; ibiqve maximam gentem condebat, à qvo demum, tan-

tanqvam à primo regionis iſtius domino, *Ægyptum* Hebræi ארץ חם *terram Chami:* * Græci χημίαν vocârunt; & *Cophtitæ* jam nunc *Chemi* nuncupant: vid. ſuprà cap. IV. pag. 41. * Pſal.cv. verſ. 23.

Tandem *Noachus* etiam, cum primogenito ſuo filio *Japeto* de *Palæſtina* migravit; & colonias adduxit in eam regionem, qvam nunc *Italiam* dicimus: in qva protinus urbem, nomine *Cethim* vel *Kitim*, fundavit. Qvod expreſſè habetur in Etruſcarum antiqvitatum fragmentis, ab *Inghiramio* repertis. Verba ipſa proferam. *Magnus pater* Vandimon, *qvi à Latinis* Janus, *à Syris* Noa *vocatur*; *advenit in hanc regionem (de Hetruria loqvuntur) cum ſecundo filio* Japeto, *& illius filiis: & cùm perveniſſent ſuper hunc montem ſibi commodum, poſteris jucundum putavit. Qvare in ſuperiori parte, qvæ ſalubrior eſſet, civitatem ædificavit: &* Cethim *appellavit. Verum anno* CCXX *à* Cethim *ædificatione*, Cethim *filius* Javanis, *& pronepos magni* Vandimonis, *aſſumptis ſecum duabus coloniis, mare ingreſſus cùm diu navigaſſet, pervenit tandem ad inſulam, qvam, ſuô &* Patriæ *nomine*, Cethim *appellavit. Hæc hodiè* Cyprus *di-*

* Vide cap. IX. p. 77. 78. Delph. Phœnicis.

citur. * *Deinde* Græci *urbem nostram, quæ* Cethim *dicebatur*, Kitim *vocavere.*

Illa autem civitas, primò qvidem Etruriæ caput & *μητρόπολις*, universæ tandem Italiæ nomen impertiebat. Inde enim Italia *χέτιμ* vel *χέτϊιμ* dici solet. vide Num. XXIV. 24. Dan. XI. 29. & 30. ubi מיד כתים *à parte Cethim* Hieronymus & alii interpretes reddunt *de Italia:* & Arabs Erpenianus من الرومانيين id est, *de Romanis:* Hinc igitur Italos olim Κιτίους & Κητίους vocabant. Eusebius, Κίτιοι ἐξ ὧν Λατῖνοι οἱ καὶ Ῥωμαῖοι: & Cedrenus in Annalibus, Τήλεφος ὁ υἱὸς Ἡρακλέους ὁ ἐπικληθεὶς Λατῖνος μετωνόμασε τοὺς πάλαι Κητίους λεγομένους νῦν Λατίνους; i. e. *Telephus Herculis filius, cognomentô Latinus, eos, qvi olim* Cetii *vocabantur, mutatô nomine,* Latinos *nominavit, ut nunc vocantur.*

(c) Vide Leandri Alberti descrip. *Italiæ.*

Itali porrò qvemadmodum, à principe ac primaria civitate, *Cetii;* sic, à primo gentis auctore, *Janigenæ* dicti fuerunt: ut & Italia *Janicula. (c)* Thusci enim Noæ, posteaqvam vivis excesserat, *Jani* cognomen dabant. Qvod qvidem nomen, unà cùm reliqvis, qvibus eum posteri notavere, deinceps explicabo.

JANUS.

Ipſum nomen bifrons eſt: à tergo *Latium* ſpectat, ab anteriori verò *Palæſtinam*. Nam priſci *Latini*, (qvoniam *Noa* primus omnium vineam plantavit, & confecit vinum) ex Hebræa voce יין *jajin* (qvæ *vinum* ſonat) nomen *Jani*, additâ ſolummodò terminatione Latinâ, formârunt. Primò tamen, ni fallor, *Janes* appellabatur: Ita enim *Salii* (qvi antiqva & jamdudum obſoleta nomina carminibus ſuis retinent) ejus nomen efferre ſolent.

Janus autem, ſive *Janes*, non ab *eundo* dicitur; ut nonnulli (qvi *Janum* qvaſi *Eanum* ab eundo dictum volunt) inſcitè decreverunt; ſed à Vini inventione: Qvam Græci qvoqve reſpicientes, *Noam* vocant Οἰνώτριον. i. e. *viniferum*. Janus (inqviunt Cato de Origin. & Fabius Pictor) *primus invenit far & vinum: & ob id dictus fuit priſcus Oenotrius*. Unde coloni, qvos *Noa* ſecum duxit in Italiam, dicti fuerunt Oenotrii. *(d)* Nec aliter intelligendus eſt *Antiochus Syracuſanus*, perantiqvus ſcriptor, qvi in Italiæ colonis vetuſtiſſimas ejus incolas percenſens,

(*d*) Vide Leandri Alberti deſcript. *Italiæ*.

ſens, & qvæ loca ſingulis occupata fuerint, ait, Οἰνώτρους πρώτους τῶν μνημονευομένων ἐν αὐτῇ κατοικῆσαι. (e) Et Aborigines ἐγγόνους τῶν Οἰνώτρων eſſe.

(e) Dionyſ. Halicar. l. 1.

Porrò autem *Janum* eundem eſſe, qvem literæ ſacræ *Noam* vocant, alia argumenta præter ea, qvæ ex nominibus à vino ſumptis, allata ſunt, luculenter evincunt: qvæ ſigillatim percenſebo.

1. Noachus una cum filiis ſuis in magno qvodam navigio, qvod *Arcam* vocant, univerſali diluviô ſalvus evaſit. Hinc ergo Thuſci Jano ſuo *ratem* pro inſigni tribuebant: &, ut tanti beneficii memoria veluti trabali clavô figeretur; in æreis nummis inſculpſerunt, hâc Jani effigiem, illâc navigium;

(Janus autem pingitur bifrons, qvia Noa tam vidit ſeculum qvod erat ante diluvium, qvàm qvod poſt illud.) Cæterum *as* (inqvit Macrobius in Satur. l. 1. cap. VII.) *ita fuiſſe ſignatum hodiè intelligitur in aleæ luſu, cùm pueri denarios in ſublime jactantes, capita aut navim*, (qvod pueris Anglicanis eſt **croſs or pile**) *luſu teſte vetuſtatis, exclamant.* Inde Ovidius lib. 1. Faſtor. v. 229. ſ.

Multa

Multa qvidem didici, ſed cur navalis in
ære,
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?

& deinde rationem, ſabulis deceptus, hanc ſubdit. v. 239. ſ.

At bona poſteritas puppim formavit in
ære
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Nam multi qvidem nummos ita ſignatos arbitrabantur ἐπὶ τιμῇ Κρόνου πλοίῳ διαπεραιωσαμένου εἰς Ἰταλίαν. i. e. *in Saturni honorem, qvi in Italiam navigiô trajecerat.* Qvam tamen ſymboli cauſam Plutarchus ipſe (qvi eam retulit in Qvæſt. Roman.) mox improbavit: cùm non modò Saturnus, ſed alii qvoqve, magni apud Italos nominis, in illam regionem navibus advecti fuerint. καὶ γὰρ Ἰανὸς (inqvit) καὶ Εὔανδρος καὶ Αἰνείας ἐκ θαλάττης προσεκομίσθησαν: *Janus enim & Evander, & Æneas mari* (in Italiam) *appulerunt.* Vero igitur ſimilius videtur iſtô navigii ſymbolô non aliud intelligi, qvàm *Arcam* Noæ, qvâ, cum ſuis, ab univerſali diluvio ſervatus fuit.

Adhæc advertendum Noam ſæpenumerò (qvod pluribus oſtendetur) Saturnum

num dici: ideoqve, cùm Rex Janus, Corybantis filius, *Saturnum* qvondam Babylonis regem, à filio suo è regno ejectum recepisset ipsiqve regni sui partem dedisset; recentiores tam rei ignorantiâ, qvàm nominum similitudine decepti, illam navigii, qvam Poëta refert, significationem commentati sunt.

2. Qvia Deus cum Noa fœdus iniit & stabilivit, (adde, qvòd nomen fœderis septies in historia de Noæ exitu repetatur) Janus exinde fœderis & concordiæ præses fingebatur.

3. Nec aliunde primus omnium Deorum (id est, illustrium virorum, qvos antiqvitas in Deos retulit) & peculiari cognomentô *pater* * dicitur, qvàm qvia ab illo, perinde ac à Noa, cuncti qvi post diluvium vixerunt, prognati fuerint. Ideoqve non ineptè dictus est *Consivius* à conferendo, id est, *à propagine generis humani, quæ Janô auctore conseritur.* Macrobius Satur. lib. I. cap. IX. Id ipsum præ se ferunt verba Festi; *Nam ex Chao*, inqvit, *Græci* χαίνειν: *unde Janus detractâ aspiratione nominatur, ideò qvòd fuerit omnium primus: cui primò supplicabant, velut parenti: & à qvo omnium*

* Apud Livium; L. Senecam; Plinium, Terentianum Maurum, & freqventer apud Poëtas.

omnium rerum factum putabant initium.

Nugatur autem Feſtus dum Janum à *χαίνειν* vel à *Chao* deducit: Qvem tamen cum *Chao* eundem fuiſſe non malè ſtatuiſſet. Ita enim *Janus* de ſeipſo loqvitur apud Ovidium lib. 1. Faſtor. v. 103.

Me Chaos antiqvi (nam res ſum priſca) vocabant

Atqve ideò finxerunt *Chaos* olim in *Terra* ſemen poſuiſſe, & ex illa cunctos, velut è matre, promanâſſe: *Beroſus.* Per *Terram* verò non aliam Veteres intelligebant, qvàm *Jani* ſive *Noa* uxorem.

4. Nam qvoniam *Noa* dicitur איש האדמה *Vir terræ*; Mythologi, nactâ inde occaſione, *Terram* ſive *Veſtam* (qvippe eandem plerinqve perſonam per hæc duo vocabula ſignificabant) *Jani* uxorem fingebant. Qvippe, cùm איש *is* vel *iſch* hebraicè tum *virum* tum *maritum* ſonet; iſtum loqvendi modum, nempe *Vir terræ* (per qvem Moſes *agricolam* notavit) mythologiæ gratiâ ſic intelligebant, ac ſi Noa *Terræ Maritus* eſſet. Hinc, inqvam, Jani uxor *Terra* ſive *Veſta* dicitur. Qvin & Noæ uxor

Gen. ix. 20.

uxor apud Berosum *Titaa* vocatur: at *Titaa* inqvit ille) exponitur *Aretia* id est, *Terra*: scilicet ab Hebræo ארץ *Arez*. Ita etiam Diodorus Siculus in biblioth. lib. III. Τιτᾶαν γῆν *Titaam, Terram*: καὶ μεγάλην μητέρα *& magnam matrem* vocat: ac Cœli (id est *Noa*) uxorem statuit: vide plura in *Cœlo*.

Postremò, dic mihi sodes, cur *mythici referunt regnante Janô, omnium domus religione ac sanctitate fuisse munitas,* (f) si non insignem Noachi justitiam, aureumqve sub eo seculum respexissent: Noachum sacræ literæ *justum, perfectum* vocant (g) sic etiam *Janus*, in Saliari carmine & libris ritualibus, dicitur *Cerus Manus*, * id est, *sanctus, bonus*: *Cerus* enim veteri lingvâ Latinâ *sanctum* notat; à qvo *ceremonia*: ut à sanctus, *sanctimonia*: *Manuus* sive *Manus* eâdem dialectô est *bonus*: unde *Dii* manes *pro bonis dicuntur à supplicitcr eos veneranti-* bus

(f) Macrob. Satur. lib. I. cap. IX.

(g) Gen. cap. VI. com. 9

* Festus. *Cerus* etiam exponitur *creator*. ab antiqvo verbo *cereo*, qvod est *creo*, vid. Scalig. in Festum & in lib. IV. Varronis de lingva. Latina. Qvæ significatio non minùs Noæ convenit, qvi omnium, qvi post diluvium, *creator* erat.

bus propter metum mortis: ut immanes *qvoqve pro valdè non bonis dicuntur.* ** Ex his luculentior mihi factus videtur obſcurus qvidam locus apud *Leandrum Albertum*, qvi, in vetuſtiſſimo Chronicorum libro de urbium Italiæ primordiis, hoc ſe ſcriptum legiſſe memorat. *Poſt univerſale diluvium, ducentis viginti qvinqve annis maxima multitudo hominum in hunc tractum, nunc Italiam dictum, ſub ducibus Bono, Tubal, Cambiſe* (legendum fortè Cameſe †:) *& aliis adnavigavit.* Sub *Bono*, id eſt, ſub *Noacho* ſive *Jano:* cujus myſticum nomen erat *Manus*, id eſt *Bonus.*

** Feſtus.

† Simili errore χέμμις Rex Ægypti fit χέμβης. Diod. Sicul. l. 1.

VADIMON & VERTUMNUS.

Noa, qvia primus omnium vineam plantavit, & vini conficiendi modum docuit, à Latinis *Janes* & *Janus* (qvod jam ſatis explicavimus) appellatus fuit. Janum verò poſt mortem Thuſci *Vadimona* cognominaverunt. *Vado* autem, (ſi fides ſit adhibenda Samueli Talmudiſtæ apud Viterbienſem) idem eſt Aramæis & Thuſcis, qvod antiqvis Ægyptiis *proto;* & Latinis *verto.*

Qvocirca *Vadimon* & *Vertumnus* sunt nomina ἰσοδυνάμα. Ut & *Proteus.* Qvod Noæ qvoqve nomen fuisse discas ex Xenophonte: * *Protei* (inqvit) *plures fuere. Primus saga in Caspiis* (qvem *Protea magnum Phœnicem vocat.*) *Alter Ægyptius.*

* L. de æqvivocis.

Janus autem Vertumnus dicitur; *Vel,* qvia *docuit* (ita enim traditur) *astronomiam, populisqve multa prædicebat; & ob id illum existimârunt habere divinam naturam; & movere atqve vertere cœlos, & elementa & cuncta vertibilia.* Unde etiam *vertentis anni* dominus habebatur. (Vide qvid infrà in *Cœlo.*) *Vel,* qvia religiosiùs invocari solet, *ut rem inchoatam benè verteret, ad finemqve feliciter perduceret.* † Janus enim *Princeps Deus Etruriæ, (h)* immò &, Macrobiô teste, *Deorum Deus* habebatur. Qvi, qvoniam *templa Diis in Italia primum fecit, sacrosqve ritus instituit, in sacrificiis præfationem meruit perpetuam.* Macrobius l. 1. Saturnal. cap. IX.

† Donatus in ult. Epist. Horatii.

(*h*) Varro l. 1. de ling. Lat.

GALLUS.

Ogyges (inqvit Xenophon de æqvivocis) *plures fuêre. Primus Atavus Nini* (id est Noa) *qvem Babylonii* Gallum *cognominant. Qvòd in inundatione, etiam superstes, alios eripuerit, & genuerit. Hinc Sagæ, apud qvos navigiô salvatus est & ereptus, ratem vocant* Gallerim, *qva undis salvet.* Et Thusci *rates* eapropter *Geleas* vocant. Noa igitur *Gallus* dicitur à *diluvio imbriumqve excessu*; nam גל *Gal* (ut annotavit vir eruditus *Guliel. Postellus* in lib. de Etruriæ Origine) *fluctum* significat, & *aqvarum copiam.* Hinc & *Italiæ antiqvissimam gentem* (qvam Noa Gallus condidit) *Umbrios** *à Græcis putant dictos, qvòd inundatione terrarum imbribus superfuissent.* Pliniô teste in lib. III. nat. hist. c. XIV.

* ἀπὸ τῆς ὄμβρου.

Hi ergo Græcè dicuntur Ὄμβροι ἀπὸ τῆς ὄμβρου· & Ὀμβρικοί. Stephanus, Ὀμβρικοὶ, ἔθνος Ἰταλικὸν περὶ τὴν Ἀδριατικὸν κόλπον. λέγονται Οὔμβροι παρὰ τοῖς Ἰταλικοῖς συγγραφεῦσι.

Eosdem Thusci olim, (Postellô teste) vocabant *Gallum*, id est, *impluviatos*: qvos posteritas vocavit *Gallos*. Qvod ratum

tum ſit è Solino: Qvi in collectaneis, *Veterum*, inqvit, *Gallorum prolem Umbros eſſe Marcus Antonius aſſeverat.* Et Cato in procœmio libri de Originibus tradit *ex Scythia veniſſe Janum cum Gallis progenitoribus Umbrorum.*

Ab avito Nomine *Gallo*, Gomerus etiam *Gallus* * appellabatur. Inde *Gallorum* ſive *Galatarum* natio & nomen. Ejus enim proles ſunt; & ab ipſo olim *Gomaritæ* dicti ſunt. Τοὺς μὲν γὰρ νῦν ὑφ' Ἑλλήνων Γαλάτας καλουμένους, Γομαρεῖς δὲ λεγομένους, Γομαρὸς ἔκτισε. *Qvos enim Græci nunc Galatas vocitant, Gomaritas olim dictos, Gomarus condidit.* Joſephus antiqv. Jud. lib. I. cap. VII.

* Vide Gviliel. Poſtelli l. de Etruriæ Orig.

Gallos intelligit. Græci enim Γαλάτας vocabant non modò regionis illius, qvam nunc *Galatiam* dicunt, incolas; (qvi tamen ipſi Galli fuerunt, qvi relictâ patriâ, ſedes eò loci fixerant; † qvò facit & qvod tradit D. Hieronymus, Galatas, ad qvos ſcripſit Paulus Apoſtolus, (qviqve Celtarum ſoboles ſunt, ut Livius & alii docent) eâdem loqvutos ſuô tempore lingvâ, qvâ Treveri, Gallorum populus, utebantur) ſed omnes in univerſum *Celtas* ſive *Gallos*: Qvod ex omnibus ferè

† Plin. Nat. Hiſt. l. v. cap. XXXII.

rè Græcis scriptoribus, qvi de ipsis mentionem faciunt, clarè elucet: Rectè igitur scitéqvè Ammianus Marcellinus. lib. xv. *Gallos Græcus sermo Galatas appellat.* Idqve (ut multi volunt) propter *lacteum* gentis colorem. γαλα enim Græcis est, qvod Latinis *lac*. His ergò Γαλατὸς *album* significat, ut contrà Λίβυς & Μαυρὸς *nigrum*. Alii tamen *Galatas* à matre regis cujusdam Celtarum dictos putant. Forsan attamen, ut vox *Gallus* à גל *gal* orta sit, ita Γαλαται à גלה *Galah*; vel גלת *Galath*, id est, *pluvia*; (undè Cambro-Britanica vox *glau*.) ac si dicas *impluviati* vel *inundati*.

XISUTHRUS.

Noam qvoqve Xisuthrum vocabant Assyriâ, prout conjicitur, * dialectô. Sed Anonymus qvidam in observationum libello nomen illud, à *zuz* Hebræo, formatum censet: *Nam zuz*, inqvit, *per geminationem & epanalepsin primæ literæ z. fit Zizus. Inde Xisuthus nomen à Græcis factum. Est autem* zuz *Hebræis, postis, porta, limen. Noachus igitur sic à dignitate fuerit olim appellatus, qvòd primi &*

* Cyrill. l. 1. contra Julian.

posterioris mundi veluti postis & janua *fuerit*. Hæc ille.

Cæterum Noacho tribui hoc nomen constet ex iis, qvæ de Xisuthro passim feruntur. Nam tradit Alexander Polyhistor (apud Cyrillum l. 1. contra *Jul.*) *magnum sub Xisuthro diluvium fuisse* καὶ σωθῆναι τὸν Ξίσουθρον προαγγείλαντος αὐτῷ τοῦ Κρόνου τὸ ἐσόμενον; καὶ ὅτι προσήκει ναυπηγήσασθαι λάρνακα, καὶ ὁμοῦ πτηνοῖς, ἑρπετοῖς τε καὶ κτήνεσι πλεῖν ἐν αὐτῇ, *& servatum fuisse Xisuthrum, cùm ei, qvid futurum erat*, Saturnus *prædixisset: & fabricandam ipsi arcam, & in ea cum volucribus, reptilibus, atqve jumentis esse navigandum:* Xisuthrus igitur, (ut pleniùs ex Abydeno refertur) ἐπ᾽ Ἀρμενίης ἀνέπλωσε &c. *in Armeniam navigavit & cùm eò contenderit, vera esse deprehendit, qvæ Deus prædixe*-*rat. Tertiâ autem die, pòstqvam remiserat tempestas, aves qvasdam emisit; periculum facturus sicubi terram videret ex aqva emergentem: illæ verò ab immenso pelago exceptæ, cùm deesset locus ubi consederent, ad Xisuthrum retrò redeunt, & post illas aliæ.* Hæc Abydenus. Ubi notandum, Græcos aliqvando per Κρόνον intellexisse verum Deum, τὸν παλαιὸν τῶν

ἡμερῶν

ἡμερῶν **the antient of dayes.** Ideoqve *Il* & *El* Dei (apud *Syros* & *Hebræos*) nomina *Saturno* tribuunt: (eiqve diem septimum consecrant.) Philo Biblius ex Sanconiathone: ἴλον τὸν καὶ Κρόνον. Et Damascius apud Phot. Φοίνικες καὶ Σύροι τὸν Κρόνον Ἤλ ἐπονομάζουσιν. *Phœnices & Syri Saturnum* El *nominant.* Et hinc etiam (prout opinor) argumentô sumptô, Græci olim *Saturnum* à Judæis cultum putabant.

OENOTRIUS.

Qvi Thuscis est Janus, idem Græcis est Οἰνώτριος. Suspicandum tamen, antiqvissimos Græcos voce *Janus* vel *Janes*, una cum Thuscis, usos fuisse: Postea verò, cùm οἶνον à יין *jain* (hinc enim deducunt οἶνον) efformâssent; haud ampliùs ἰανὸν, sed Οἰνώτριον dixisse.

Notandum porrò, tres *Oenotrios* extitisse: Primum, *Janum*; ex sententia Catonis. Alterum, Lycaonis filium; de qvo *Dionysius* & *Myrsilus Lesbius* scripsere. Tertium, Sabinorum regem; à qvo gentis illius regionem dictam fuisse *Oenotriam* Varro testatur, & Servius in Vir-

gilium notat. Sed antiqvissimus omnium fuit *Janus*, à qvo *Latium Hetruriamqve* nomen *Oenòtriæ* desumpsisse Cato memorat.

OGYGES.

Inter alia Noæ cognomina meritissimè censetur *Ogyges*. Id enim ei nomen datum ab antiqvis. Testor *Nini* Epitaphium apud Xenophontem: * qvod sic se habet: *Mihi pater Jupiter Belus: avus Saturnus Babylonicus. Proavus Chus Saturnus Æthiops: abavus Saturnus Ægyptius:* (nempe Cham; de qvo infrà plura) *atavus Cœlius Phœnix Ogyges* (id est, *Noa* qvi *Cœlius*, *Cœlum*, & *Ogyges* dicebatur) *ab Ogyge ad avum meum Sol orbem suum lustravit semel & tricies & centies. Ab avo ad patrem sexies & qvinqvagies: à patre ad me bis & sexagies.* Xenophon qvoqve alibi. *Plures* (inqvit) *inundationes fuêre. Prima novimestris inundatio terrarum sub prisco Ogyge.* (k) Hanc autem simpliciter *inundationem terrarum* vocat, qvia terras omnes simul obruit. Alia verò diluvia nominantur à particularibus locis, qvæ subruerant:

* Lib. de Æqvivocis.

(k) Vide Solinum.

Qva-

Qvalia fuêre *Niliacum*, qvod ſub Hercule & Prometheo: *Atticum*, qvod ſub Ogyge Attico: *Theſſalicum*, qvod ſub Deucalione Theſſalo: *Pharonicum*, qvod ſub Proteo Ægyptio contigit. Sed prior & inſignior ille *Cataclyſmus*, eò qvòd Univerſalis erat, à loco dici non potuit: at à *Noa*, ſub qvo fuit, *Ogygius* dicitur. Vide Cenſorinum de die natali. cap. XXI. Ex qvibus certò ſcias *Noam* ab antiqvis *Ogygem* dictum. *Ogyges* autem *vox eſt* (ex ſententia doctiſſimi viri Jacobi Bolduci) *corrupta, pro Hebræa* עוגעשה Oghoſe, *& exponitur* factor *aut* ſacrificator panis ſubcineritii: *ut qvæ compoſita ſit ex nomine* עוג *& participio verbi* עשה aſah *diſponere & ſacrificare.* Vel potius ex *Ogy*, * & per reduplicationem *Ogygi*, fit *Ogyges*, id eſt, *panis ſubcineritii in ſacros uſus aptator.* Qvod qvidem nomen aptiſſimè conveniebat Noæ: Qvi cùm pontifex maximus eſſet, & religioni plurimùm deditus; *panis* in ſacrificiis uſum primus inſtituit. Qvod ſatis liqvet ex *Eutychio Alexandrino* in Annalibus pag. 45. Ubi *Noa* jam morti vicinus *Semum* jubet ut *Melchiſe-*

* Vide Poſtel. l. de Heturiæ Orig. pag. 235.

deco præciperet ad hunc modum,

ولايقرب هناك قربان الا خبزا
وخمرا يكون يقرب الى الله

Neqve aliam ibi offerat oblationem qvàm panem & vinum, qvæ Deo offerat. Huc facit qvòd *Janus* maximè *fár* ad ſacros uſus inveniſſe diceretur.

DEUCALION.

Hoc nomen non modò *Deucalioni*, Theſſalorum regi; ſed & *Noacho* (qvem *Deucalionem Scytham* * vocant) accommodatum plurima confirmant teſtimonia: Sed tria tantùm, qvæ rem luculentam faciant, exhibebo.

* Lucian. in tract. de Dea Syria.

Deucalion (inqvit Lucianus †) *cùm totum genus humanum ob flagitia, quæ quotidiè patrâſſet, aqvis obrutum periiſſet,* μοῦνος ἀνθρώπων ἐλίπετο ἐς γενεὴν δευτέρην εὐβουλίης τε καὶ τοῦ εὐσεβέος εἵνεκα, &c. *Solus hominum relictus fuit in ſecundam videlicet generationem prudentiæ ſimul & pietatis gratiâ: ſervatus autem fuit* (pergit Lucianus) *hôc modô*; Arcam *qvandam magnam, qvam ipſe habebat, impoſi-*

† Ibidem.

tis in eam liberis & uxore suâ, conscendit: Cæterùm cùm ipse ingrederetur, venerunt eôdem & apri, & eqvi, & leonum genera, & serpentes atqve alia qvæcunqve tellure pascuntur, bina ex unoqvoqve genere cuncta. Ille autem recepit *ad se omnia; atqve ea ipsum haudqvaqvam lædebant: sed magna inter eos,* Jove *ita dispensante, concordia erat. Unaqve in arca omnes navigabant, qvamdiu aqva superabat.* Hæc ille. Deinde *Plutarchus* in lib. de Animalium solertia, hæc habet. Οἱ μυθολόγοι τῷ Δευκαλίωνι φασὶ περιστερὰν ἐκ τῆς λάρνακος ἀφιεμένην δήλωμα γενέσθαι, χειμῶνος μὲν εἴσω πάλιν ἐνδυομένην, εὐδίας δὲ ἀποπτᾶσαν. *Qvi fabulas narrant, ii columbam ajunt ex Arca emissam Deucalioni certum judicium detulisse, tempestatis, si rursus ingrederetur: serenitatis, cùm evolâsset.* Qvæ de *Noa sanè* tam perspicuè dicta sunt, ut vix Moses, unicô exceptô nomine, clariùs. Scitè ergo concludit *Philo* (in lib. de præmiis & pœnis) τοῦτον Ἕλληνες μὲν Δευκαλίωνα, Χαλδαῖοι δὲ Νῶε ἐπονομάζουσιν· ἐφ' ᾧ τὸν μέγαν κατακλυσμὸν συνέβη γενέσθαι. *Hunc Græci* Deucalionem, *Chaldæi verò* Noam *vocant, sub qvo magnus ille cataclysmus evenit.*

SOL

SOL & COELUM.

Hæc etiam *Noæ* cognomina fuisse non inscitè colligas è Diodoro Siculo, qvi patrem *Saturni*, Panos Ægyptii, *Solem* fuisse. Et alibi, patrem *Saturni*, qvi regnavit in Ægypto, Lybia, Sicilia & Italia, *Cœlum* prodit. Liqvet autem *Saturnum Pana Ægyptium* fuisse *Chamum*; *(l)* qvi non solùm in *Ægypto*, sed & in Italia regnum qvoddam aliqvandiu obtinuit. Adeò ut, *Sol* & *Cœlum* qvis sit, haud ampliùs ambigatur. Alioqvin ex Macrobio clariùs elucebit. *Multi* (inqvit) *Janum* Solem *demonstrari volunt: & ideò geminum qvasi utriusqve januæ cœlestis potentem, qvi exoriens aperiat diem, & occidens claudat.* *Alii* Cœlum *esse voluerunt, Janumqve ab eundo dictum, qvòd mundus semper eat, dum in orbem volvitur: & ex se initium faciens, in se refertur. Unde Cornificius Etymorum*, lib. III. *Cicero,* (inqvit) *non* Janum, *sed* Eanum *nominat ab eundo.* Hæc ad Noam qvomodo pertineant, ea qvæ non ita pridem de *Jano* dicta sunt, luculenter enuntiant. Porrò nemini dubium esse possit, qvin Noachus *in Nini epitaphio* apud

(l) Vide suprà pag. 40. & 41. *Delph. Phœn.*

apud Xenophontem *Cœlius* appellatur. Ibi enim *Saturni Ægyptii (*id eſt *Chami)* pater dicitur *Cœlius Phœnix Ogyges.* Nec de alio mihi intelligendus videtur *Ennius* in Euhemero: (citatur à Lactantio in inſtit. l. cap. 11.) ubi dicit, *Initiô primus in terris imperium ſummum Cœlus habuit.* Cœlus, *id eſt*, Noa: Qvi, ut Pater, ita primus, omnium Princeps & Dominus exſtitit: Cui (ut ait Beroſus) *Cœli* cognomen dabant, eò qvòd aſtronomiam docuit; & populi multa prædicebat. Qvin & heroi cuidam antiqviſſimo, ob inſignem in aſtronomia ſcientiam, *Cœli* cognomen datum tradit Diodor. Siculus, Biblioth. l. III. His verbis latinè redditis. *Uranus* (id eſt, Cœlus vel Cœlum) *ſiderum obſervationibus impenſè deditus, multa in mundo ſuperiori eventura prædixit: & ex motu Solis anni rationem vulgò patefecit. Menſes qvoqve ex curſu Lunæ, & certas ſingulis annis horas, definivit. Ideò cùm plebs, de perpetuo aſtrorum ordine nondum edocta, prædictorum eventuum certitudinem admiraretur; opinio inolevit, Vatem illum divinæ naturæ conſortem eſſe: rebuſqve humanis exempto, ob merita & aſtrorum ſcientiam, divinos*

hono-

honores impenderunt. Ejus autem nomen ἐπὶ τ͂ κόσμον *ad mundum* (ad Cœlum) *transtulerunt. Ut ortus occasusqve siderum, & alia in ætherio mundo contingentia familiariter novisse putaretur.*

Noachus, inqvam, propterea qvòd astronomiæ peritus esset, siderum & cœlorum motus docuerit, & res inde futuras è longinqvo prospexerit, ab antiqvis *Cœlus* & Universi dominus appellari solet. Illumqve idcircò, sub *Jani* nomine, talia loqventem inducit *Ovidius*.*

* Fast. lib. I. v. 117. s.

Qvicqvid ubiqve vides, cœlum, mare, nubila, terras
Omnia sunt nostrâ clausa patentqve manu.
Me penes est unum vasti custodia mundi:
Et jus vertendi cardinis omne meum est.

Et Servius in Æneid. VII. *Janum*, (inqvit, *qvadrifrontem faciunt eò qvòd totius anni, qvi in qvatuor tempora partitur, dominum existimârunt.* At verò *bifrons* dicitur ab iis, qui eum vocant dominum dici, qvæ ortum & occasum habet. Unde & *Diespiter*, id est, *matutinus* & *diei pater* dictus est. Horatius II. Serm. Sat. VI. 20.

Matu-

Matutine pater, seu Jane libentiùs audis.

Qvi verò Physicè rem reputant, Noacho *Cœli* cognomen datum putant, qvia sicut è *Cœlo*, tanqvam *patre*, & *terrâ* tanqvam matre, cuncta progignerentur; Sic omnes, qvi post diluvium vixerunt, ex Noacho & uxore ejus: qvam idcircò *Titæam* * id est, *Terram* vocabant. Τιτία, Γῆ. *Titaa, Terra: & Cœli uxor.* Diodorus Siculus Biblioth. lib. III. Titæam verò, *Cœli* sive *Noæ* uxorem, Berosus *magnam* vocat: & Terram Græci θεὸν μεγάλην Deam *magnam*: & μεγάλην μητέρα *magnam matrem nuncupant.* Qvod qvidem nomen, *Magna*, licet ad numerosam, qvam habuit, prolem maximè referri videatur; ipse tamen id potiùs à significatione nominis illius, qvô Orientalibus nota fuit, desumptum reor. Quippe Noæ uxor apud Arabes هيكل *Haical* dicitur. † Qvod illi nomen fuerit apud Hebræos, haud liqvet: si qvis tamen illam ab ipsis qvoqve היכל *Heical* (qvod idem nomen est) appellatam credat, per me licet. Qvia autem هيكل *Haical* tum *magnam mulierem,*

*Berosus.

† Eutychius in Annalibus p. 34.

tum

mò, Omnium; qvi poſt diluvium vixerunt, communis parens eſt *Noa*. Ita *Saturnus* in Orphæi hymnis παγγενέτωρ & γενάρχης appellatur; & ejus uxor *Rhea* dicitur:

Μῆτερ μὲν τε θεῶν, ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων

Denuò, qvia *Noa* (Gen. IX. 20.) vocatur איש האדמה *Vir terræ*, id eſt, *agricola*; Propterea mythologi (qvi fabulas ſuas plerunqve, vel ex Hebraicis hiſtoriis, vel loqvendi formulis effinxerunt) *Rheam*, id eſt, *Terram* (nam *Rhea*, prout ſuprà probatur, eadem eſt qvæ *Terra*) *Saturni* uxorem faciunt: Ita phraſim ſumentes, ac ſi *Tellurem* Deum duxiſſet in uxorem. Alii verò, qvi probè norunt, qvid ille loqvendi modus ſignificârit, *Saturno* rem agrariam tribuunt. Plutarchus in Ῥωμαϊκοῖς, qvæſt. XLII. de *Saturno* ſic loqvitur. καρπῶν ἀρετῆς ἢ γεωργίας ἡγέμων ὁ θεός; ἡ γὰρ ἅρπη τοῦτο σημαίνει· *fructuum virtuti, aut agriculturæ Deus ille præeſt, hoc enim falx ſignificat.* & Macrob. Saturnal. lib. I. cap. VI. *huic Deo* (de Saturno loqvitur) *inſertiones ſarculorum pomorumqve educationes, & omnium ejuſmodi fertilium tribuunt diſciplinas.*

Adhæc qvoniam *Noa* non modò plantâsse vineam, sed & vino succubuisse legitur, inde Saturnum ebrietati præ fecerunt: ideoqve Saturnus apud Lucianum * dicit sibi curam esse commissam *κρότου, καὶ ᾠδῆς, καὶ μέθης*, *plausus, cantus, ebrietatis:* Et Saturnalium septem diebus sibi non licere serium qvidquam aggredi, *πίνειν δὲ καὶ μεθύειν, καὶ βοᾶν.* Sed inebriari, & bibere, & vociferari.

* In Epistola Saturn.

Demum, qvia Noa cum suis, ex aqvis diluvii, velut è matrice, emerserit; *Saturnum idcircò & Rheam, & qvi cum illis fuerunt*; ex Oceano *& Thetide natos fingunt.* † Plura videatis apud Cl. Bochartum locô suprà dictô. Qvi verò primi Saturnum *Cæli* filium * dixerunt, non illi *Noachum*, sed ejus filium *Camum* intelligebant. Illum enim *Saturnum Ægyptium Pana (n)* vocant, & in *Ægypto, Lybia, Sicilia nec non Italia* regnasse tradunt. † *Camum* porro Ægyptiorum *Pana* fuisse vel hinc liqvet, qvòd Ægyptii urbem, qvam in honorem *Panos* extruxerunt, *χέμμιν* *Chem-min* vocant; & *Panos* urbem interpretantur. Vide *Delphi Phœnicis:* caput IV. pag. 40. & 41. Ideoqve, qvia *myn* apud Ægyptios *urbem* sive

† Plato in Timæo.

*Orpheus in hymno in Saturnum & Hesiod. in Theog.

(n) Vide Xenophontem de æqvivoc. & Diodor. Sicul. Biblioth.

† Diodor. Siculus.

man-

mansionem sonet, ut *Chem* idem sit, qvi *Pan* necesse est. Nec malè convenit hoc nomen *Camo*; qvi ob impietates, & omnis generis impudicitias ac libidines tam malè audiebat, ut inde vocaretur *Cameses*, id est, Cam *impius* & *infamis*: & *Camesenus*, id est, *impudicus* & *incubus*.

Inuus enim *Latinis* idem est, qvi *Græcis* ἐφιάλτης; ὃς τῷ Πανὶ αὐτὸς δοκεῖ εἶναι, *qvi idem videtur esse, qvi Pan*. Artemidorus. Vide *Sextum Aurelium Victorem* de orig. Gentis Rom. & *Servium* in lib. VI. Æneid. *Camus* igitur, ut Ægyptiorum *Pan*, ita & Latinorum *Inuus*. Nec fuit *Ægyptiis* qvàm *Latinis* notior: ut qvi ex Ægypto tandem in Italiam venit, & in illa regnavit. Hinc Cato de Originibus. *Italia*, inqvit, *splendidissima origo est, tum tempore tum Origine gentis: cœpit enim aureo seculo sub Principibus Diis*, Jano, Camese, &c. *Gente Phœnicâ & Sagâ*. Et Etruscæ Antiqvitates hæc habent. *Cameses ex Ægypto cum magna colonum multitudine ad nos veniens cum Ocbo decertavit; Kitimqve regnum occupavit: & coloni, qvi cum eo erant, Aborigines dicti sunt. Sed Vandimon ob filii impietatem & scelera, illum ejecit.*

Postremò *Cami* regnum in Italia confirmat Diodorus Siculus l. IV. ubi Saturnum Cœli (id est, ut suprà probatur, Noachi) filium, non modò in *Ægypto*, sed & in *Italia* regnasse memorat. Ab ipso igitur Italia *Camesene*, * vel *Camesenna* dicebatur.

* Vide Macrob. Saturnal. lib. I. c. VI.

Huc usqve de Noæ cognominibus Ethnicis, ejusqve simul adventu in Italiam. De qvo qvi plura vellet, consulat extemplò, († post Antiqvitates *Chaldaicas*, à Beroso scriptas; & *Ethruscas*, ab Inghiramiò repertas; qvarum autoritatem, qvi cuncta diligenter & accuratè perpendit, licet illas *Gasper Varrerius*, has autem vir eruditissimus *Leo Allatius* acriter oppugnavit, haud elevatam censeat) Leandrum Albertum, Gviliel. Postellum, Johan. Viterbensem, Nauclerum, Lazium, Functium, Irenicum, Munsterum, Podianum, Middendorpium, Bolducum, atqve alios; qvi id ipsum unô ore omnes pronuntiant, qvidam & doctissimè probant.

† Vide Etrusc. antiq. fragmenta.

Hæc autem si ita se habuerint, qvô pactô factum sentias (multos enim sic percontantes, audire videor) ut de vero Etruscæ Gentis auctore tam infreqvens apud

apud Antiqvos ſcriptores & tam obſcura ſit mentio? Ob tres præcipuè rationes id fieri: Primò, ob multitudinem atqve diverſitatem nominum, qvibus Noam poſteri (vel propter rerum peritiam, vel propter inventa & beneficia in genus humanum collata) deſignârunt. Illa enim nomina, collabente paulatim veritatis hiſtoriâ, tot homines, immò tot numina cenſebantur: (Qvippe ut *Luna*, qvæ & *Iſis*, & *Lucina*, & *Diana*, & *Trivia*, & *Hecate* dicebatur, tot Deas, unius cujuſqve nominis enixu, peperit: ſic etiam *Noa*, qvi *Vadimon*, *Janus*, *Vertumnus*, *Cælum*, & *Saturnus* appellatus fuit, diſtinctam tandem cuilibet appellationi divinitatem nactus eſt.) Ideoqve res ab uno geſtæ (à qvibus ipſius notitia conſervabatur) non modò diſpertitæ, & in multos (ut unicuiqve numini ſua conſtarent merita) collatæ, ſed & innumeris, qvæ πληθείαν ſemper attendunt, fabulis obſcuratæ ſunt.

Secundò, ob varias mutationes, & graviſſimas bellorum clades; qvæ tum homines, tum libros, antiqvamqve hiſtoriam penè deleverunt. Qvibus & blattarum, tinearum, nec non ipſius temporis

(qvod res cascas obligurire solet) edacitas addi possit.

Tertiò, ob Græcorum invidiam: qvi pro virili contenderunt vera *Gentis Etruscæ* primordia penitus obscurare, ut summam, qvam ipsi semper aucupati sunt, antiqvitatem sibi vendicarent. Ea enim Græcorum vanitas est & arrogantia, ut se non solùm omnis Philosophiæ, politæqve literaturæ, sed & humani generis auctores efferant. Ipsos ex ore *Diogenis Laertii* * sic ἀρχαιολογοῦντας audiatis: τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἔνιοί φασιν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι: & mox, λανθάνουσι δ' αὐτοὺς τὰ τῶν Ἑλλήνων κατορθώματα, ἀφ' ὧν μὴ ὅτι γε φιλοσοφία ἀλλὰ καὶ γένος ἀνθρώπων ἦρξε, βαρβάροις προσάπτοντες. *Philosophiam à Barbaris initia sumpsisse nonnulli autumant: Sed hi profectò per imprudentiam Græcorum rectè facta inventaqve, barbaris applicant: ab iis enim non solùm philosophia, verùm ipsum qvoqve hominum genus initia manavit.* (o) Risum teneatis amici? Sed,

* In principio Procemii.

(o) *Qvò rapuit Græcos antiqvitatis aucupium? in historia qvàm mendaces, in Etymologia qvàm vanos & ineptos effecerit hoc studium? Antiqvissimorum hominum lingvam omnium primam fuisse necesse est: Hanc ergo Græci, qvi se*

vetu-

Sed, ut Græculi de origine generis humani commentum (qvàm ridiculum & absurdum!) missum facerem, non sine ratione contendo literas apud *Britannos*, *Gallos & Hispanos*, si non ante qvàm apud *Græcos*, eôdem saltem tempore floruisse. Age autem Græcule, & si qvid literarum & philosophiæ, qvod *Nini* tempus retrò attingat, in Græcia comperias, ostenta: sin minùs; Barbari Græcos post se relinqvent. Qvippe qvia *Iberi* artes & disciplinas suas à Nini usqve tempore repetunt. Qvod vel ex homine Græco possit ostendi. Ita enim *Strabo* de Iberis Γραμματικῇ χρῶνται καὶ τῆς παλαιᾶς μνήμης ἔχουσι τὰ συγγράμματα, καὶ ποιήματα καὶ νόμους ἐμμέ-

vetustissimos haberi cupiunt, suam esse contendunt, (qvod & Eutychio cum aliis, vid. ejus annales pag. 54, placuisse miror.) ideoqve omnium ferè nominum, immò vel Hebraicorum *origines è Grajo fonte petunt. Hinc Belum dictum volunt* διὰ τὸ ὀξύπετον ἢ ὀξυκίνητον εἶναι τὸν παῖδα. *i. e.* eò qvòd puer acutissimus esset *(ac si à Græca voce* βέλος, *qvæ te*lum *vel* jaculum *sonat, oriretur)* Japetum ἀπὸ τοῦ ἰέναι καὶ πέτεσθαι à motu *scilicet* & volatu. Syriamqve *ita vocatam somniant* διὰ τὸ σύρεσθαι ὑπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ. Hesychius. *Sexcentas ejusdem farinæ etymologias afferre possumus: hæ autem qvàm futiles sint & absurdæ qvis non videt, qvi modò literas* Hebraicas *à primo limine salutaverit.*

ἐμμέτρους ἑξακισχιλίων ἐτῶν, ὥς φασί. *Utuntur grammatica, & antiqvitatis monumenta habent conscripta, ac poëmata, & metris inclusas leges, à sex millibus, ut ajunt, annorum.* Illa autem sex millia annorum *Ibericorum*, duo tantum millia *solarium* faciunt: Nam *Iberis* (mihi auctor est *Xenophon* lib. de æqvivocis) *in usu fuit annus qvadrimestris, rarissimè solaris:* duo igitur millia *solarium* respondent sex millibus qvadrimestrium: qvos si à principio *Octaviani*, sub qvo *Strabo* floruit, retro supputes, ad initium *Nini* pervenies. Facilè ergo fidem detis *Beroso*, qvi in v. antiqvitatum sic loqvitur, *Annô qvartô Nini literis & legibus Germanos format Tuyscon gigas; Celtiberos Tubal; & Celtas Samothes.* Samothes autem, qvi primus omnium Celtas instituit & erudivit; idem qvi *Dis*, (à qvo *Galli omnes se prognatos* ajunt *) & *Japheti* filius esse traditur: (p) Qvocirca, cùm *Celtæ* disciplinas tam venerandæ antiqvitatis habuerint; non dubitem qvin, si *Diogenes* ille *Laërtius* huc appulisset, & literarum, qvæ apud suos Græcos erant, antiqvitatem, (qvod pro more Græco facit) ostentâsset, tale qvid à

* Vide J. Cæsaris comment, lib. VI.

(p) Vide *Gvilielmi Postelli* lib. de Origine *Hetruriæ*.

 Drui-

Druidis, qvale *Solon* ab Ægyptio Sacerdote, * responsum tulisset. Ὦ Διόγενες Διόγενες ἀεὶ παῖδες ἐστέ. γέρων δ' Ἕλλην οὐκ ἐστίν. Νέοι ἐστὲ τὰς ψυχὰς πάντες; οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαιὰν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν. O Diogenes, Diogenes, *Græci semper pueri estis. Senex Græcorum est nullus. Juvenes estis animis omnes; nullam enim ex antiqva eruditione veterum sententiam in ipsis habetis, nec ullam disciplinam vetustate canam.* Musæum Athenæ, Thebæ Linum jactent, nihil attamen, si modò Celticæ philosophiæ ratio habeatur, nihil producant, qvod non recens appareat & novitium: qvod etiam plenius liqvebit ex iis, qvæ de *Druidis* extemplò dicturus sum. Nam qvoniam *Druidæ* celeberrimum apud nos hominum genus extiterunt, operæ pretium erit, in eorum nomen & ritus altiùs inqvirere, & ab ipso, si fieri possit, initio deducere: qvod eqvidem (veniâ tuâ Lector) seqventi digressiunculâ conabor.

* Apud Platonem in Timæo.

DE ORIGINE DRUIDUM.

Druidis sanè *Britannia* nihil habet ce-

lebrius: nihil, qvod ostentet, antiqvius. Ut cùm nemo sit, cujus aures eorum fama non personuerit, pauci tamen inveniantur, qvi probè norint, qvis auctor istius sectæ Philosophorum, qvæ nominis ac religionis origo fuerit. Qvocircà non is sum, qvi luculenti aliqvid in re tam obscura polliceri audeam. Qvod tamen mihi verisimilius est visum, breviter & verecundè proferam.

Cogitanti mihi sæpenumero, animoqve rimanti, qvis celeberrimi illius ordinis auctor & institutor esset, haud alter citiùs & constantiùs occurrit, qvàm qvi primus omnium *Celtas* literis & legibus (ut suprà dicitur) informavit; *Samothes* inqvam: Qvi, qvoniam divini humaniqve juris peritissimus, ac religioni deditissimus esset, *Samothis*, id est, *cœlestis* nomen obtinuit. Et ab illo Celtarum qvoqve *philosophi*, *medici*, ac *Theologi*, (qvos *Druidas* appellant) olim Σαμόθεοι dicebantur. Id enim *Druydis* erat nomen: teste *Aristotele* in magico. Hos, scio, *Diogenes Laërtius* Σεμνοθέυς vocat. Verumenimverò, Σεμνόθεοι, vox est (si non errori graphico potiùs inferatur: nec desunt qvidem viri docti, qvi Σαμο-

θέοι ibi legunt) à Græcis ficta pro Σαμόθεοι. Eô nimirùm consiliô ut non modò terminatio, sed & ipsa compositio nominis Græciam saperet: Amant enim *Græci* verba extera sit, transferre atqve immutare, ut Græcæ originis esse videantur. Sic Hebræorum civitatem ירושלם *Jeresalem* reddiderunt Ἱεροσόλυμα. & ἀπὸ τῆς σύλης τῶν ἱερῶν *à spoliatione templorum, qvæ diripuerant & incenderant in tota regione, dictam volunt.* Ita & Arabum Deum ذو الشرى *Du-shara* vertunt Θεουσάρην, Est autem Θευσάρης, inqviunt, qvasi Θεὸς Ἄρης *Deus Mars; qvi in Arabia Petræa maximè colitur.* * Et Latinum nomen *Orbium* transferunt Ὀρόβιον, ac si è Græca voce ὄροβος, qvæ ervum sonat, ortum fuerit. Sexcentas ejusmodi versiones passim legere est. Sed, ne prolixior esset hæc diatribe, tria tantùm exempla, qvæ mihi jam nunc occurrebant, exhibui.

* Vide Delph. Phœnicis. pag. 114.

Qvod ad Druidum nomen attinet, multi id arcescunt à Germanica voce **Dru**, qvæ verum & fidelem sonat. Unde *Drudi* & *Drudes*, id est, *veri & fideles.*

deles. Alii tamen à Saxonica *Dry.* Ita enim *Saxones* lingvâ suâ *magum* vocabant. *(r)* Plurimi rursus id deducendum putant à Græco vocabulo δρῦς *quercus:* eâ ducti ratione, quòd *Druides nihil habent visco, & arbore in qva gignatur (si modò sit robur) sacratius; nec ulla sacra sine illa fronde conficiunt. (s)* Strabo autem scitè & prudenter *negat in gentium Barbararum nominibus Græcas etymologias esse qværendas.* Nec est cur *Druydæ* magis qvàm Bardi à Grajo fonte derivarentur. Sed, qvia *Druydæ* Celtarum magi ac sacerdotes erant, eorum nomen potiùs è lingva *Celtica* (qvalis & *Britannica,* & *Gallica* vetus) peti debet. Et sanè *Druides* Celticum nomen esse discertè fatetur *Plinius,* ajens, *Ita* (Galli) *suos appellant magos.**

* Ibidem.

Illis ergo potissimùm assentior, qvi *Druides* arcescunt à Celtica voce *Deru,* id est, *quercus:* qvam vel hodie Cambro-Britanni (prout à viro undeqvaqve do-

(q) Vide *Spelmanni* glossarium & *M. Antonii Dominici* dissert. de Treuga & Pace.
(r) *Alfricus* in glossario Saxonico Latino.
(s) Plin. Nat. hist. l. XVI. c. XLIV.

doctiſſimo D^{no} Thoma Jones amico, & collega meo; monitus ſum) **Derw** vocant. Et ab illa *Druydas*.* **Derwydddon** (t) nuncupant. Tantum verò abeſt, ut Druydes ἀπὸ τῆς δρυὸς primùm dictos arbitrer, ut potiùs Græcam vocem δρῦς à Celticâ *deru* formatam crederem. Qvippe cùm maxima Druydum fama & celebritas, haud exiguam qvoqve nomini arboris, à qva dicti ſunt, gloriam creâſſent; Græci (qvos olim Gallia colonos habuit †) tandem aliqvando Celticum nomen imbiberunt; & à *Deru* qvercum δρυῦ appellabant, neglectô, qvô priùs illam notâſſent, vocabulô. Nam Græci antiqvitùs *qvercum* vocabant σάρωνα vel σαρωνίδα. Liqvet ex Plinio. lib. IV. cap. V. *Sinus Saronicus* (inqvit) *olim qvernô nemore redimitus, unde nomen; ita Græciâ antiqvâ appellante qvercum.* Licet autem σαρωνίδες Heſychio ſint *qvercus hiantes ob antiqvitatem*; Callimachi tamen Scholiaſtes eas ſimpliciter δρῦς exponit; ac ita dictas autumat παρὰ τὸ σεσηρότα καὶ συνεστραμμένον τὸν φλοιὸν ἔχειν, *eò qvòd hiantem habeant corticem.* Ab hoc igitur obſoletò vocabulo *Druydes* aliqvando Σαρωνίδες appellantur. *Diodorus Siculus Biblioth.* lib.

* Sæpe ſcribitur cum litera y. &, ut opinor rectiſſimè.

(t) Vide *Davieſii* Dictionarium Britanicum.

† Videſis Cl. Boxhorni Orig. Gallicas. cap. VIII.

lib. v. φιλόσοφοί τέ τινές εἰσι καὶ θεολόγοι περιττῶς τιμώμενοι οὓς Σαρωνίδας ὀνομάζουσι. i. e. *Philosophi apud eos sunt* (de Gallis loqvitur) *& Theologi eximiô honore culti, qvos* Saronidas *vocant*.

Ex his, ut opinor, constat *Druydas* (sive id *Græcum*, sive, qvod verisimilius est, *Celticum* nomen) appellatos esse à qvernâ arbore, qvam illi semper maximô honore & cultu proseqvebantur.

Porrò igitur qværas, unde qverna istæc religio nata sit? nimirum è *quercubus Mamræ*: sub qvibus olim viri sanctissimi (penes qvos, tum rei divinæ faciendæ, tum justitiæ administrandæ cura fuit) religiosissimè degebant: qvarum umbra simul Abrahamo *domicilium*, Deoqve *templum* præbuit. Nec hoc ex hirco nescio qvo Talmudista, nugas sitiens, emulsi; sed ex veritatis exsuxi mammis: ex sacris, inqvam, literis. *Habitabat Abrahamus* (inqvit hagiographus, Gen. XIII. 18.) באלוני ממרא *in qvercubus* vel *qvercetis Mamre*. Consonat *Arabs* qvi habet في بلوط ممري *inter qvercus Mamre*. Et per LXX, παρὰ τὴν δρῦν τὴν μαμβρῆ: *juxta qver-*

cum

cum Mambre. Et cap. XVIII. v. I. πρὸς τῇ δρυῒ τῇ μαμβρῇ, *ad quercum mambre.* *(u)* sub qva tentorium suum fixit; altare extruxit; * & vitulas, capras, arietes, & cætera id genus sacrificia Jehovæ obtulit; † omniaqve sacerdotii munia ritè obivit. Immò verò *Deum* ipsum sub hac arbore, una cum *angelis*, hospitiò accepit. * Hîc cum eo sermonem habuit; & fœdus iniit; ac ab eo benedictus est. Admiranda sanè hæc qvercuum præconia. *(x)*

* Gen. cap. XIII. 18. & XIV. 13.

† Gen. cap. XV. comm. 9.

* Gen. c. XVIII.

Ad

(u) In querceto Mamræ, *quercus una reliqvis eminentior & insignior extabat; sub qva Abrahamus habitavit. Hanc autem quercum vel ad* Constantini magni *tempora perdurâsse tradit* Isidorus; & Hieronymus *in tractatu, qui est* de locis Hebraicis; & Zozomenus *lib.* II. *cap.* III. *qui refert ad eam qvotannis festum à* Christianis, Judæis & Arabibus *celebratum fuisse.*

(x) Multa in sacris literis habentur, qvæ in qvercuum laudes faciunt. Sub qvercu, qvæ erat in agro Schecemitano, Jehovah Abrahamo *primùm apparuit, & ejus semini regionem istam se daturum promisit. Hîc igitur Abrahamus altare extruxit Jehovæ, qui apparuerat ipsi. Gen. cap.* XII. *comm. 7. Ex qvo locus circa hanc* qvercum *Deo sacratus fuit. Ut colligere est ex* Josuæ *cap.* XXIV. *comm. 16. ubi Josua fertur magnum lapidem in memoriam fœderis cum* Deo *percussi ab* Israëlitis *erexisse sub hac* qvercu, *qvæ erat* במקדש יהוה *i. e.* in Sanctuario, *vel* loco Jehovæ sacrato

Qvòd

Ad hæc (ut altiùs aſcendam) non abhorret ab omni fide Noam qvoqve in hoc ipſo qverceto vixiſſe: Mihi argumento eſt ipſum nomen loci; qvi, teſte Joſephô) Ὠγύγη dicitur. * Idqve à *Noa*, qvem *priſcum Ogygem* vocabant.

* Vide Delph. Phœniciſ. p. 145.

Noam verò ſic dictum reor ab *Oggiis* ſuis, *i. e. ſubcineritii panis* (qvalem עֻגָה vocant Hebræi) *ſacrificiis*, qvæ ſub hiſce qvercubus piè & freqventer obtuliſſet.

En primos ſacerdotes qvernos! en Patriarchas Druydas! Ab his etenim *Druydum* Secta, qvæ *Abrahami* ſaltem tempora retrò attingit, (nam tempore *Hermionis*, qvi ſtatim poſt Abrahami mortem *Germanorum* rex erat, *Druydum* collegia viguiſſe ferunt) natales ſuos

Qvòd ſi tabernaculum *ipſum (prout multi ſentiunt) ſub hac qvercu ſteterit, major inde gloria qvercubus redundabit.*

Ex iis fortè qvæ de qvercubus, Mamre & Schecemitano, *feruntur, nata eſt non modò* Judæorum, *(qvi ſub qvercubus idola colebant & ſacrificabant diis ſuis*, *Eze.* VI. 13. *Oſe.* IV. V. 13.) *Sed &* Gentium *religio, qvæ* arbores in numinum templa *conſtituit. (Plin. lib.* XII. c. 1.) & qvercum Jovi ſacram *fecit: nec aliunde fabula de oraculis è qvercu datis orta videatur.*

Qvod

ſuos repetat. Qvippe qvia Sanctus ille vir, & Pontifex *Abrahamus* ſub qvercubus vixit, ſacra peregit, ac Deô hoſpite fruebatur; noſtri hinc *Theologi* ſive *Samothei* (ſi non altiùs ad *Noam*, qvem fortè *Samothes* hac in re priùs imitaverat, reſpexerint) hujus exempli claritudine, qvercuſqve gloriâ (ſub qva Jehovah reqvieſcere dignatus eſt) eximiè capti, *roborum lucos eligebant:* * & *in iis ſacra procurabant; religiones interpretabantur: de omnibus ferè controverſiis publicis ac privatis conſtituebant; præmia pœnaſqve decernentes.* † Et in ſumma, qvercum (qvam *deru* vocabant) tanto in honore & cultu habebant, ut *nulla ſacra ſine illa fronde conficerent:* unde *Druydes* appellati ſunt.

* Plin. in nat. hiſt.

† J. Cæſar. in com. lib. VI.

Qvi Druidum ritus, opiniones, diſciplinas, &c. plenius intelligere velit, adeat *J. Cæſaris* comment. lib. VI. *Plinii* nat. hiſt. lib. XVI. cap. XLIV. *Strabonis* geograph. lib. IV. *Diod. Siculi* lib. V. *Cluverii* lib. IV. cap. XXIV. de antiqva Germania.

Sed (ut eò revertar, unde Druydum cauſâ digreſſus ſum) Græci, cùm ſe vetuſtiſſimos haberi ſolicitè contenderint;

qvid non tentarunt? qvem non moverunt lapidem, ut Etrufcæ antiqvitatis (qvam ferre non fuftinebant) gloriæ tenebras offunderent? qvot antiqvitatis cenotaphia fibiipfis extruxerint? qvas fabulas, five (qvod idem eft apud ipfos) hiftorias ad commenta fua ftabilienda fubornaverint? certè *δεδαιδαλμένους ψεύδεσι ποικίλοις μύθους. variô mendaciorum genere concinnatas fabulas.* Et cùm maximis eloqventiæ viribus eximiâqve dicendi copiâ nimis inftructi fuerint, incredibile eft qvantas in veritatem nebulas excitaverint; qvot & qvàm magni nominis viros in fuas partes allexerint; qvos alii multi, tanqvam pedanei, fecuti funt: ut non mirum, fi apud hos (qvi Græcis adftricti funt, & ab illis finunt fe ῥινὸς ἄγεσθαι, nimis fanè patienter, ne qvid dicam gravius.) qvicqvid eft literarum, qvod (vel temporis & tinearum faucibus, vel belli cladibus, vel malevolorum manibus elapfum) contra *Græcorum* mendacia furrexerit, ὑποβολιμαίως audiat.

Ne

Ne vacarent ſubſeqventes paginæ, liceat tua cum venia, Lector, *annectere* Oratiunculam *pro* Philoſophia liberanda.

Ad Peripateticos

Fruſtra noſipſos *à ferulis,* pædagogorum *ſceptris,* aſſeruimus; *pileos* incaſſum ſumpſimus; ſi hoc tantum ab *ingenuis* artibus ſit expectandum, *doctiùs* ut *ſerviamus.* Hæccine ſcientiæ libertas, ut ad alterius arbitrium coacti deſiperemus? Valeat *logica,* ſi *pugnô* ſuô rationis noſtræ *oculos* eliſerit: Valeat omnis *curſus* philoſophicus, ſi nos Ariſtotelis *à latere* tantùm *curſores* fecerit. Qvænam qvæſo futura ſunt ſtudiorum noſtrorum *curricula,* ſi idem ſit & *carceres* & *meta*; *finis* idem, qvi *principium.* Huc uſqve ſanè, *(Peripatetici) laborioſè* nihil egimus: Nec tam *progredi* ſtuduimus, qvàm feſtinanter *morari,* & *conſiſtere:* Non ſecus ac Καλλιπίδης ille, qvi, licet indeſinenter moveret, & in greſſus effundi videretur, nihil promovit. Stagiritæ *mammas* ſugant adoleſcentuli; doctrinæ Peripateticæ *coloſtras* imbibant; & in ſanguinem ac ſuc-

cum convertant: at *incrementum* ſcientiæ, firmam veri rectiqve *conſtitutionem* ac *nervos* aliunde qværant. Qvis non eum *vagire* adhuc in philoſophiæ *cunabulis* exiſtimet, cui *Peripatetica* nutrix *lallat*, qvi Lycæi *crepundia* geſtat, qvi *materiæ primæ crepitaculô* delinitur; & nihil omninò digerat, niſi qvod in *Ariſtotelis ore* præmanſum fuerit. *Ignis*, ut probè ſcitis, haud ſplendeat, aut *Pyramidis* adinſtar in acumen ſurgat, priuſqvam clauſtris ſuis exilierit: Nec *aqva*, niſi perexiguos *ſcatebræ* ſuæ cancellos linqveret, *torrens* fiat. Ignea ſanè vis animi eſt; ideoqve libertatem (qvam ſpirat ardenter) ſibi aſſumat & vendicet: Et ut ſcientia veſtra *fluvii ad modum* creſcat; *alveô* turgeat & exundet; *Ariſtotelicum* (ex qvo manavit) *fontem* derelinqvat. Non aliter tot dialecticæ *Mæandri*, tanti Phyſices *Nili*, ethiceſve *Alphæi* totum hunc literarum orbem perluiſſent. Nam qvæ tam *clarè* lucent, *planetæ* ſunt, non *fixæ* ſtellæ. Non benè *diſcurrat* ratio, qvæ, ad unius autoritatem, velut *ad cippum*, ligatur: Nec *vigeant* aut *vireſcant* ingenia, (nedum *flores* excrant aut *fructus*) cùm non *apertô* fruantur *aëre*. Verendum

dum igitur ne *suffocentur* artes, si non *liberè* spirent. *Musæ* nimirum, non minùs ac *Gratiæ*, zonas *solutas* amant; & tali gestiunt licentiâ, qvæ *liberas* arguat & non *incastas*. Apes, logica illa, si qvæ sint, animalcula, non unicum duntaxat flosculum sugunt, aut *crura* tantùm *thymô* stipant, at juxtà ex omnibus *Hymetti Hyblæqve* floribus suum dædalè concinnant mellificium. Si qvis igitur veræ philosophiæ *nectar* avidiùs sitiat, *Epicuri* hortos advolet; *Academiæ* sylvis inerret; pascua *Tusculana* percurrat; & qvicqvid in toto philosophorum campo verisimilius est, carptim delibet; eorum more qvi flores legunt. *Ignavum* pecus, & *philosophici* (ut ita dicam) *fuci* sunt, qvi in *Lycæo*, velut in *præsepi*, dormiunt. Insunt in capite tuo, *Peripatetice*, *vernaculi* qvidam *Delphi*; ibi regnat — *illâ se jactat in aula* ratio: Hanc tuam ducas *penatem* Pythiam: *indigitem* Deam; & *nativum* qvoddam *Oraculum*. Alii igitur, nescio qvot asinorum hecatombas *Apollini* mittant: Alii seipsos *Aristoteli*, simili penè sacrificiô, devoveant: Ipse verò te tibiipsi dedices: teipsum consulas. Qvicqvid tibi dictat tua *pia mater*, religiosè

 colas:

colas: &, qvas *lucidum* cerebri tui *speculum* præsentat, *ideas* ipse bona cum ratione depereas: conceptus proprii modestior *Narcissus*. Alterius seqvi sententiam, non *artis* est, sed *sectæ*: nec *suâ*, sed *alienâ qvadrâ* sapere. Minùs autem *rectè lautéve* intelligit, cui omnem philosophandi victum *sportula* suppeditat. Pudet me sordidi eorum atqve inopis ingenii, qvi, ut gratis & otiosè sciant, rationem mendicant: qvi non ultra crepidam philosophantur; nec sine plebiscito sapiunt. Misereor eorum industriæ, qui hoc tantùm nituntur & contendunt, ut in republica literaria nescio qvi *pedanei* senatores evadant; & alterius auctoritate nutuqve præclari fiant. Penè irascor eorum vecordiæ, qvi philosophis se addicunt, non qvia *rectè* dixerunt, sed qvia *jampridem*; auctoritate *Nestoreâ* potiùs, qvàm *Achilleâ* ratione militantes. Hi sanè mihi videntur illis haud absimiles esse, qvi *paludamentis* fidem dant, non qvia *probata* sunt, sed qvia *æruginosa*. *Cana* res est, eqvidem fateor, sed & *delira*, Antiqvitas: ut nescias an *reverentiam* magis an *veniam* mereatur. De *puteo* veritatis ipsa

ex-

exhausit multa; plurima nobis *examtlanda* reliqvit. Non unô die, unôve seculô congestus erat *sacer* ille *Mercurii acervus*: * crevit indies, acceptôqve, qvem nova semper pietas adjecerat, lapide, in molem porrò augendam surrexit. Idem scientiis usu venit. *Artes* enim non, ut *fungi*, nascuntur & maturescunt repente: progressu illis opus est; & incrementô qvotidianô. Ita autem creverunt, ut illas ἐς ἀκμὴν perductas secula priora non habuerint. Qvippe vel hodiernô die, ad consummandum *rei literariæ* Pandoram, *Symbola* sua mittunt docti. Videt & hæc ætas suum Apollinem *imberbem*: Sunt nobis etiam Gratiæ *virgines*; præclaræ scilicet, & jamprimùm inventæ scientiæ. Ut priscos haud alia de causa seqvi videamur, qvàm qvia ætate præcesserint. Sit ergo retroactis seculis suus honos, & præsenti suus. Prudentissimè certè *Gaditani*: qvi non *anno* tantùm, sed & *mensi* exstruebant aras; atqve ita longissimè remota tempora colebant, ut & novissima non contempsisse viderentur. Vobis autem (proh pudor!) nihil in honore est, nisi qvod annis & carie sqva-

* Ἑρμαῖκες.

ſqvaleat: Nihil eruditè *pulchrum*, niſi qvod *rugas* ab ætate contraxerit: nihil *dulce*, niſi qvod ab *ore* aliqvò *Neſtoreo* profluat: Qvibus veritas, ut vinum *Opimianum*, à multis ſeculis æſtimatur: ac ſi *fabulæ* ideò veriſſimæ eſſent, qvia *aniles*. Miror eqvidem qvô veneficiô philtrôve effectum ſit, ut *intellectus* veſtri tam *vegeti* tam *viriles*, non niſi *vetulas* neſcio qvas *artes* & *diſciplinas* amplectantur. Perinde hoc eſt, ac ſi *Pyrrhus* juvenis *Hecubam*, ſpretâ *Polyxenâ*, deperiret. Senſus veſtri profectò melius ſapiunt; & (non ſecùs ac Dii Deæqve omnes) *Heben* amant: Idqve impenſiùs affectant, qvod jamprimùm *recentem* adhuc & *virgineum* roſæ *pudorem*, laſcivientes *oculi*, ſeu *corrivales*, ambiunt. Primæ & præcoces *uvarum* deliciæ *guſtui* maximè ſalivam movent. Nil tam jucundum in *nares* veſtras odorem ſpargat, qvàm *ver novum*. Nec gratior *auribus* adveniat *nuntius*, qvàm qvi *nuper* in lucem editus ſit *Mercurius*. *Tenerum* ſit oportet, & *lanuginoſum*, qvod *tactum* delectet, & vos titillet. Ut unô verbô dicam; rebus omnibus, ad qvas veſtri ſenſus adhin-

niunt,

niunt, novitas ipſa lenocinatur. At *amaſiam* mente atqve intellectu dignam non ſentiatis, niſi qvam veſtri priùs *atavi proaviqve* deamaverint? Et, cùm Solem *Perſæ* non colerent, niſi *recenter ortum*; vos ex adverſo (qvod de *Æthiopibus* fertur *) *exorientem* fugitis, damnatis, execramini. A qvibus veritas, (etiamſi luce meridianâ clarior appareat) unicè novitatis rea, damnatur: &, qvod mirum, ideo pro *corrupta* repudiatur, qvia *intacta* eſt adhuc & *pura virgo*. Ideo ut *ſpuria* rejicitur, qvia ſit hujus ævi *genuina* proles. Ac ſi *modernus* omnium *intellectus* (ut cum Philoſophis loqvar) *agens*, *patientem*, non ut *vir*, ſed *adulter* compreſſerat. Et illegitimos ingenii fœtus inde ſuſceperat. Uſqveadeo pro *vetuſtate* ſimul & *Ariſtotele* deliravimus. Atqve ita rem reputavimus, ac ſi *Lycæum* eſſet philoſophiæ *Gades*: & *Ariſtoteles* unicum illud *jubar*, à qvo omnia *lumina*, qvotqvot unqvam ſplendebunt in *cœlo* noſtro *philoſophico*, debeant accendi. O ineptias! O vecordiam! qvem tot *maculis* aſperſum videas; qvem modò *plenum*, modò *ſemiplenum*; modò *ſilentem* com-

* Diod. Siculus.


perias, illumne philoſophiæ *Solem* credas? Splendet *Ariſtoteles*, haud inficeor, ſed *velut inter ignes* Luna *minores*. Neqve enim ſibiipſi conſtat: nec ut *Sol* influit, ſed multos hinc inde opinionum *fluxus* & *refluxus* excitat. Hoc igitur * unicum, Peripatetici, reſtat vobis argumentum, qvò *Ariſtotelem* veſtrum *philoſophorum* omnium *coryphæum* & *Solem* eſſe comprobetis, qvòd reliqva omnia lumina, dum oriebatur, extinxerit. Hoc tamen idcirco fecit, ut *noctem* fraudibus ſuis obtenderet. Ille enim omnia *Democriti*, *Epicuriqve* monumenta in *atomos* uſqve *igneâ analyſi* reduxit. Ille univerſam ferè doctrinam *Pythagoræ* tam altô cinerum *tumulô* ſepelivit, ut nullâ unqvam *metempſychoſi* reſurgat: adeò ut *Pythagoricos*, non *qvinqvenne* jam, ſed *æternum* prêmat *ſilentium*. Ille ille etiam qvamplurimos Babyloniorum libros delendos curavit: ne, qvorum *monarchiam* funditùs extirpaſſet *Alexander*, eorum *literæ* adhuc *viverent* & *imperarent*. Ita, *Peripatetici*, nata eſt veſtra philoſophia: nempe, *viperæ* adinſtar, *parentis* exitiô. Qvocirca naturæ, vel ſaltem juſtitiæ, qvædam lex

eſſe

esse videatur, ut ipsa aliqvando *prolis* suæ morsu lancinata; animam efflaret. Multi tamen, scio, *intermortuum* doctrinæ Peripateticæ *cadaver*, nescio qvô distinctionum *pollinctu* condire *satagent*; & incautâ religione non tam *gloriæ* superstes reddent, qvàm *calumniis*: Mea autem pietas erit, huic nostræ philosophiæ *parenti*, sensu jam tandem & ratione *defunctô*, exeqvias ire: factô per oblivionem *sepulchrô*.

Habita in Collegio Mertonensi 10. *die* Julii *Anno Dom.* 1653. *cùm mihi, pro solenni consvetudine Domus illius, in tribus qvæstionibus Philosophicis ab Aristotele* variandi *munus incumberet.*

FINIS.



ZACH.

ZACH. BOGAN EDMUNDO DICKINSON. S. D.

Amicissime vir

G*ratulor tibi fœtum ingenii; & certè qvidem &c. At nolo præripere lectori tuo laudes, qvas ei inter legendum vel invitò extorsurus es. Qvippe nusqvam te magistrum geris, sed* στοχαστικῶς *loqveris etiam tunc cùm maximè videris* βάλλεσθαι ἐπίσκοπον ἤχλω. *Tu libri tui* pag. 9. *citasti* Job xxv. 6. *Ego, qvas in illum locum & de* Typhone, *in adversariis meis nugas habui, misi nunc ad te. Si otium est, lege; si non, remitte mihi vel ipsas, vel importunitatem meam.*

Job xxv. 6.

הרפאים יחוללו מתחת מים ושכניהם

Vulg. Ecce Gigantes gemunt sub aqvis &c.

Grotius *in locum, nihil aliud, qvàm,* Tritones videtur indicare. * *Liceat mihi saltem*

* *Alii* formantur Gr. μαιωθήσονται.

saltem apud te, quadam ex Veteribus quasi ex παραλλήλȣ *sita proferre, indeqve interpretationem aliqvam pro tuo & meo more* jaculari. Typhona *tempore* Herodoti *(qvem, etsi aliâs de ejus testimonio non gloriẹr, ubi modeste* λόγ☉ *tantum dicit, non dubito laudare) in* Serbonide Lacu * λόγ☉ *(a)* ὦ κεκρύφθαι, *h. e.* erat sermo, *vel* fama *(non, ut vertit* Valla *comprobante etiam* Stephanô, occultatum fuisse, *sed)* occultasse se, *nempe fugientem ex ignibus, & adhuc dolore & ustulatione anhelantem.* * *Eôdem verbô eadem de re usus est* Eustath. *(b) in* Dionys. περιηγ. *qvamvis* κεκρύφαται *(c) apud* Hesiodum *de* Titanibus *aliter. Qvum autem* vapores *crebri è lacu isto orirentur, hinc factum opinor, ut ab* Ægyptiis *(d)* Τυφῶν☉ ἐκπνοαὶ † *ipse locus vocaretur, qvasi* vapores *illi nihil aliud fuissent qvàm fulminati Gigantis anhelitus. Id qvod* Apollonius *(e) dicit accidisse* Phaëthonti *ad* προχοὰς Eridani, *ita ut natum illinc odorem ferre nemo (f) potuerit. Lego etiam apud* Ovidium *(g)* olentia Stagna Palici. Æschylus *(h) Nilum* Τυφῶν☉ ῥύ☉ *dixit.* Hesiodus Nili *prosapiam à* Typhone *ducit.* Serbonide *autem à* Lacu, ἤδη *(i)* Αἴγυπτ☉, *(non*

(a) In Thalia.
* Vide p. 18. ἄσθμαζε.
(b) In. v. 253.
(c) Θεογ. v. 730.
(d) Plutarch. in M. Antonio.
† Vide etiam Etymol. Mag. in Τυφῶς.
(e) Argon. l. IV. v. 599.
(f) Ib. v. 622. 3.
(g) L. 2. de Ponto.
(h) Ἱκετ.
(i) Herod. loc. supr. cit.

(*non* jam, *sed*) protinus, immediatè Ægyptus. *Nec est cur mireris, Medice*, Gigantum ἐκπνοὰς malè olentes, *qvum* inflammationem in pectore *habuerint, ut infrà ostendam. Hæc cogitans facilè adduceris ut credas versionem Hebrææ vocis* Vulgatam, Gemunt, *veram esse* à gemitu, *qvem qvasi* ὠδῖνας (*k*) *sustinens* τυφῶμβρ@ *nescio qvis indesinenter edit. Dixi* ὠδῖνας: *num illud de qvovis in visceribus* jaculum *gestante* (*qvale est* fulmen, *sc.* Jovis) *aptè dixeris: qvemadmodum in visceribus habere* jaculum *dicitur mulier* ὠδῖνας *sustinens*. Homerus (*l*) Ὡς δ᾽ ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα: Oppianus (*m*) ὠδίνεσσι τυπεῖσα· & φέρει βέλος ὠδίνεσσι Α᾽λ. *v.* 591. *Confer qvæ de* Sagittis, & fulmine *passim habentur in Libro* Psal. & Job. VI. 4. *Pergerem qvò me pedes ferunt, ni putarem è re mea esse, apponere consensum* Magni Grammatici, *qvem serò nimis inspexi*, Ὠνόμασται δ᾽ (*loqvitur de Petra* Typhaonia *in* Caucaso) διὰ τὸ ἐν αὐτῷ διωκόμενον τὸν Τυφῶνα ὑπὸ Διὸς πεπληχθῆναι τῷ κεραυνῷ, πληγέντα δ᾽ αὐτὸν φασὶ καιόμενον ἀπελθεῖν ἐν * τῇ Σερβωνίδι λίμνῃ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ εἰς τὸ βάθος αὐτῆς ἐμπεσεῖν καὶ δῦναι συνεχόμενον ὑπὸ τῆς ἐκκαύσεως.

(*k*) *Qvod notat* חולל.

(*l*) *Il.* λ.

(*m*) *Lib.* II. Κυν. *Apud* Theocr. βέλος εἰλειθυίας: & βέλος τοκετοῖο. *apud* Nonnum *in* Dionys. *imò* ὠκὺν ὀϊστὸν Oppian. *L.* III. Κυν. V. 520.

* *Sic loqvuntur* Eustath. *aliiqve recentiores.*

Qvin

Qvin (ut fugam, *non verò* jactum, *qvalis à fulmine sæpe fit, fuisse constet) adscribam illud* Strabonis *lib.* XVI. τυπτόμενον τοῖς κεραυνοῖς φεύγειν κατάδυσιν ζητοῦντα. τοῖς μὲν οὖν ὁλκοῖς ἐντεμεῖν τὴν γῆν, ἐκ δὲ τούτου γινέσθαι τοὔνομα τῷ ποταμῷ. (n) (*verba* δῦναι & κατάδυσιν serpentibus *conveniunt, ut infra ostendam. Sint ergo è re tua cui* Python & Typhon *idem sonant.) Nunc pergo illas, qvas tot scriptores memorant,* Homeri & *aliorum diversas sententias de loco* Typhonis *conciliaturus. Dico igitur* Typhonis antrum, cubile, *sive* domicilium *in* Arimis *fuisse, qvos montes (seu potiùs montium ἀκρα *)* Lycophron *ab illo vocat* Τυφῶνος σκοπάς. *Sive* Ciliciæ *sive* Syriæ *dixeris, ob vicinitatem istorum locorum minimè* totô cœlô *erraveris. Illum* Æschylus *(o)* — Κιλικίων οἰκήτορα ἄντρων — *vocat, qvemadmodum à* Lycophrone *Sibyllæ antrum* οἰκητήριον *dicitur. (p) Liceat obiter notare* Scholiastis in *Æschylum (vel librarii, qvod minùs credo) miserrimum* σφάλμα: *dicit enim in locum præfatum.* Κὶ Ἡσίοδος, † Τὸν ποτὲ κιλίκιον θρέψεν πολυώνυμον ἄντρον. *At ubi, qvæso, hoc dixit* Hesiodus? *Imò an hoc dicere omnino potuit, qvum duæ primæ syl-*

(n) Ῥῆ ξεῖθρον, quasi ῥῆ ξαι ῥεῖθρον. *vide* Eustathium *in Il.* β *ubi fabulam narrans* φασὶ *tantùm dicit, auctore non nominatô.*

* *Vide quæ infrà de* rupe cava *dicimus.*

(o) *In* Προμ. Δεσμ.

(p) *Sub finem libri.*

† *Scribitur* τὸν πότε.

syllabæ in κιλικίων *breves sint; uti constat ex illo ipso* Æschyli *loco, tum etiam ex hoc alio* Pindari *(qvi qvidem ut verus est locus horum verborum, ita etiam ad rem nostram facit* (r)

(r) Pyth. a. ἐπωδ. a.

Τυφὼς ἑκατοντακάρανος, ὅ ποτὲ
Κιλίκιον θρέψε πολυώ-
νυμον ἄντρον. ——

Interim non nego Victorium *rectè judicâsse, qvæ in* Æschylum *leguntur*, meliora cæteris & eruditiora esse. *Nec sanè video, qvam necessitatem habuerit* Eustathius *interpretandi* εὐνὰς *apud* Homerum *(locô qvem citasti)* τάφον; *præsertim cùm paulò ante locum illum ejus* οἰκητήριον *assignaverit, qvumqve* latibulum *sive* lustrum cujuslibet *serpentis* εὐνὴ *dicatur* Græcè, Latinè cubile. *Imò cujuscunqve animalis* εὐνὴν (s) *dixeris*, Oppianô *auctore (si nihil detrahat* sermoni antiqvo *recentior* ætas) qvi etiam εὐνὰς *apri dicit.* Κυν. δ. v. 365.

(s) Κυν. β. v. 307. 320.] Ἀλ. α. v. v. 719. 731.

Εὐνὰς μὲν πήξει πυμάτοις ἐνὶ βένθεσι
κρημνῶν.

Nam non puto vertendum concubitus, *licet illud connotetur. Passim apud hunc scriptorem legas*, χειὴν εὐνὴν, κοίτην, θαλάμην & — μον, *imò* (t) δόμον *animalis*,

(t) 4d. Ἀλ. κ. 597.

malis, etiam natatilis, Ἀλ. β. 243, *&* α. 467.

——οἱ δ' καὶ εὐνὰς (v)

Καὶ θαλάμους ἀλόχους τε διακεκλόδον ἀμφὶς ἔχουσι *confer.* v. 445. *Qvia autem* εὐνή *etiam* concubitum *significat, &* εὐνή locus *ferè est* Concubitûs *ergo; qvum* Concubitus *pluralem numerum reqvirat, hinc ortum, ut locus ipse pro singulari numero pluralem qvoqve admittat. Qvin annon tibi videor rectè sentire,* Homerum *ideo* εὐνὰς *dixisse, qvòd* Typhona *nihil alind fuisse putaverit qvàm animal γηγενὲς monstrosæ magnitudinis, cujus* εὐναὶ, *cùm* ἀμφίβιον *esset, in rupe (a) cava optimè statuerentur. Et qvidem* Oppianus *(qvi non longè à* Typhonis cubili *natus (b) est, naturasqve & historiam* animalium *pernovit) de eo (c) loqvitur, sicut de aliis* animalibus, *dicitqve, cùm* Jovi *bellum* (scilicet) *minaretur, à* Pane *dolô persvasum ut relinqveret* βέρεθρον *(sive* εὐνὴν*) & in* ἀλὸς ἀκτὴν *prodiret,* Jovis *fulmini objectum: à qvo demum percussus est* ipse, *qvum anteà* Jupiter *contentus esset (ut* Homerus *loqvitur)* ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσειν terram *solùm qvæ* circum *(d) jacebat flagellare. Jam in* Serbonide *lacu* χηλὴν *(qvemad-mo-*

(v) *Hîc potior ratio vertendi,* Concubitus.

(a) Serpentes cavâ rupe *utentes lege apud* Oppian. Ἀλ. α. 559.

(b) *Videlicet in* Cilicia, *qvò pleriqve* Arima *reponunt.* Ἀλ. β. 8.

(c) Ἀλ. γ. 18.

(d) *Puto rectè, exponi* ἀμφὶ circa. *Freqventiùs significat* de, ob, *vel* pro.

modum, in Arimis *εἰν ἀρίμοις ubi natus est*) serpentis tui *pono.* *χειὴν, inqvam, h. e.* receptaculum, *qvô se κεραυνωθεὶς, recepit, sive κατέδυσε: nam (missô qvòd hôc verbô usi sunt de* Typhone Strabo, *atqve* Etymologista) *nullô verbô meliùs* Serpentes *in cavernulas se* recipientes *expresseris.* Unde *χειὴν* (*qvæ propriè est Serpentum εὐνὴ*) *definit* Athenæus (e) *τὴν τοῦ ὄφεως κατάδυσιν, &c. Addo, qvòd etiamsi εἰν ἀρίμοις interpretetur* Eustathius (*neqve alium scriptorem citat* Stephanus *pro illa* acceptione *vocis*) *de* Sepulchro: *rarissimè hoc eum apud Veteres legisse putem, vix semel atqve iterum. Haud aliter* cubile *apud* Virgilium *fortè non* Sepulchrum, sed (*id, qvod* cubile *sæpe notat apud poëtas, de animalium latibulis, &* nidis *dictum*) *locum* cubandi *tantùm notat.*) *Suadet hoc adjectivum præfixum. Qvis enim rem carmine dignum putet*, durum *vel* molle Sepulchrum? *Non dico tibi qvantum conveniat* Cubili Typhonis *hôc sensu, cum* lecto Baschanitæ *tui. Qvidni igitur* Homerus Typhæi *εὐνὰς dixerit in* Arimis *fuisse, qvamtumvis ipsum vel in* Sicilia *vel alibi pœnas dedisse sciverit: qvemadmodum & nos sæpe* antrum Tryphonii, Si-

Opp. ἁλ. β. 291.

(e) Lib. XI. pag. 477. Edit. Casaub.

* Dicterium videtur. Philostr. Epist. μαλακωτέρως ἢ αἱ εὐναί.

Sibyllæ, * &c. domum τ̃ δῦναι *dicimus*, *qvam aliqvando illius domum fuisse scimus. Eôdem sensu videatur* Schol. in Hesiod. θεογ. κοίτην *vocasse*. Ἄριμα ὄρη Κιλικίας, ἢ Λυδίας, ὅπου ἡ τοῦ Τυφῶνος κοίτη. *Qvin & ipse* Eusthath. † *ut tandem video (nam primò* Junii *tantùm* compendium *consului) etsi postea addit* εἰ μὴ ἄρα, &c. *meam tamen* δύνης *rationem antea dederat. Inqvit ille*, Ἔνθα ὁ Τυφὼς δύναζεσθαι λέγεται τοῦτ' ἐστι διατρίβειν. *Adeoqve* Tzetzes *gloriosus de* Pindaro *falsum*, *de* Homero *qvod dubium est*, *dixit* (*f*) Ἄριμα ὄρη Κιλικίας, ὅπου Πίνδαρος καὶ Ὅμηρος φασὶν εἶναι τὸν Τυφῶνα. *Qvod ad* Inarime Virgilii, *Ego sanè* à Turnebo, *Erythræo*, Scaligero, &c. *hactenus non dissensi? qvid nunc faciam, nescio. Certè eadem me semper movent*, h. e. 1°. *Si* Εἰναρίμοις (*nam unô vocabulô legendum erat ei qvi* Inarimen *cogitaret*) *de* populo *intelligatur* (*ut certè intelligi debet ab eo qvi* Inarimen terram *cogitat*) *durum esse subaudire præpositionem* * Ἐν. 2°. *neqve* Virgilius *ignorare potuit metri necessitatem, qvâ* εἰν *pro* ἐν *ponitur, ita ut qvasi coactus obscuritate rei, confundendi auctor esset ea qvæ antea semper distincta legebantur; præsertim qvum apud*

* *Nympharum* Εὐνὰς *vide infrà.*

† *Qvem vide etiam infrà de Nymphis.*

(*f*) *In* Lycophrona *ubi dicit* Τυφῶνος *σκοπιή.*

* *In verbis locum significantibus usitatius.*

Hesiodum *eôdem modô scriptum legeret, prout infrà ostendam. Deinde ajo* Typhona *cùm* Jovi (g) στεφεὰς ἀπορέξαντο χεῖρας (*qvô stratagemate suprà ostendi ex* Oppiano) *ab ipso* κεραυνωθέντα *pœnas alicubi dedisse, si vis, in* Sicilia. Schol. *in* Æschylum, Ἐν Κιλικίᾳ μὲν ἐγεννήθη, ἐκολάσθη δὲ ἐν Σικελίᾳ. *Proinde seqvioribus etiam seculis putabant ignes qvos ibi locorum cernebant* (Ægyptios *imitati*) Typhonis ἐκπνοὰς *esse.* — *Spirare* Typhoea *credas, inqvit* Ovidius. (h) *Si ego hoc in loco (nempe* Sicilia) *Gigantem reponam; qvod ad aqvas spectat, nullas omnino inventurus sum, nisi qvales sunt* Æschylo ποταμοὶ πυρὸς, *locô antè citatô, de* Ætna. *Eadem de re* Pindarus *dixit* πηγαὶ *&* ποταμοὶ πυρὸς *locô ante citatô* ςρ. δ. Item Oppianus, Κυν. α. v. 22. *&* 1. 275. *& etiam* Plato *in* Phædone *ubi de* Typhone *loqvitur. Scilicet ex illis* imbribus ignis *qvos legimus in* Oppiano Ἁλ. γ. *v.* 22. (*qvales Deus* pluebat *è* Cœlo, Gen. XIX.) *nati sunt* ποταμοί. *Deniqve cum* Grammatico *antè laudato, & cum* Schol. *in* Apollon. *lib.* II. *v.* 216. *assero (tuâ fiduciâ) gigantem postea ad* Serbonida *se recepisse, ibiqve* ὑποβρύχιον *æstuantia præcordia refrige-*

(g) Apol. Arg. l. II. v. 1216.

(h) *L.* I. *Fast. de* Caco. & *lib.* III. *de* Typhone, cujus anhelatis ignibus ardet humus *vide* Æsch. ἑπτ. θ. *v.* 500. *unde nescio an tu qvod è re tua esset desumere potuisses.*

figeraſſe. Scilicet καπέδυσε, Arabicè صرب Saraba; *atque inde, ſi tibi placeat,* Serbonis. *Qvid ſi* philoſophica Philologicis *miſceam, dicamqve fabulam de* Typhone *in hoc lacu latitante inde natam, qvod ibi locorum multi eſſent* ἄνεμοι τυφωνικοὶ*, *qvalem* Lucas Evangeliſta *navigantibus ſecundum illas regiones* βεβλημένοι [a] *dicit* Act. Apoſt. cap. XXVII. 14? *Qvin* Typhonum *copiam circa illas partes cecinit olim* Marcianus Heracliotes in περιηγή-σει. [b] *An cum citatis auctoribus, Gigantem meum,* ὡς εἶχε [c] *cùm primùm fulmen ſenſit; an verò poſtqvam ſub monte aliqvandiu jacuiſſet, fugiſſe dixerim, neſcio. Hoc tantum dicam,* Tzetzen, *qvum legeret* Heſiodi *verſus,* [d] *temerè inde concluſiſſe* Typhonem *in* Sicilia κεραυνωθέντα. Apollonii *locum, ubi* Typhonis fugam *narrat, tantùm non deſcripſi. Manum cohibuit* Bochartus, *qvem conſului eô fine ne crambe dennò coctâ nauſeam facerem.* Pherecydes *autem citatus illuc à* Scholiaſte, *dicit* Typhona *à* Jove *percuſſum* fugiſſe ad Caucaſum (*ſc. ut ſe* occultaret *ab* ira Jovis; *nam de* montium *præſidio ſive* tegumento, *non ſemel in* ſacra pag. *mentio eſt*) *atqve inde* καιομένου ὄρους *ſe*

* *De qvibus etiam infrà.* p. 222.

a Ἀνέμοιο βολῇς Oppian. *lib.* IV. Κυν. 72.

b *Edit.* Morelli Lutet.

c *Vera interpretatio* τοῦ αὐτῶς *in* Apoll.

d *Qvos ſi vacat vide apud* Lycophr.

contulisse ad Pithecusam, quam ei περιρριφθῆναι * dicit. Sed ut propius instem (quod ad Homeri locum [e] attinet) & acu quasi rem tangam, dico Εὐνὴ non esse cubile quodvis, sed φιλότητ☉, quô sensu vox illa sæpissimè (imò interdum pro ipso concubitu) accipitur, ut & participium εὐνηθεῖσα. Φιλότητα autem intelligo ipsius Typhonis & Echidnæ de qua Hesiodus
Ἡ δ' ἔρυτ' εἰν Ἀρίμοισιν ὑπὸ χθόνα. Θεογ. v. 300. Ubi nempe ipsi — δάσσαντο θεοὶ κλυτὰ δώματα ναίειν (v. 346.) τῇ δὲ Τυφάονα φασὶ μιγήμεναι ἐν φιλότητι. Δεινόν † θ' ὑβριστήν τ' ἄνεμον. Tzetzes in illa verba Lycophronis *
Καὶ νᾶμα λίμνης ἔνθα Τυφῶν☉ δάμαρ
Κευθμῶν☉ αἰνόλεκτρον εὐνάζει μυχὸν,
hæc habet, Πλησίον δὲ Λυδίας τὰ Ἄριμα ὄρη ὅπου φησὶ Ἡσίοδ☉ εἶναι τὴν Ἔχιδναν. Ταύτῃ δὲ συνεμίγη ὁ Τυφῶς, &c. Quod Lycophron dixit Κευθμῶν☉, [f] Hesiodus dixit κεύθεσι γαίης. (v. 300.) Annon hæc optimè quadrant, mi Amice, (si suppeterent Aquæ) cum Hebræo יחוללו, & cum Græco μαιωθήσονται, quod interrogativè scri-

* Quod quidem cum Εὐνὴ convenit meliùs, quàm si super imposita fuisset. Quamvis aliquibus apud Eust. in Od. Π. εὐνὴ est στρωμνή.

e Qualis est ἀνεμ☉ Τυφωνικὸς de quo suprà.

† Virgil. Æne. VIII. Typheus arduus.

* Prope finem libri.

f Hôc nomine vocat Oppianus piscium latibula in rupibus v. 212. 235. confer cum iis quæ suprà dixi de εὐνῇ.

ſcribitur, qvia Monſtra, quæ tunc temporis permulta erant, obſtetricem *nullam habebant, ſicut* mulieres, *ſed* g — τικετὺς ἀμαιώτοιο λεχοίης. *Potes fabulam apud* Euſtathium *(in* Homeri *locum qvem citas) de* duobus Ovis *in* Arimis *a* Junone *repoſitis, huc referre; qvod ſi feceris, ſemper tibi vox* εὐνὴ *ad rem exprimendam idonea erit.* * *Verbô dicam, ſi* εὐνὴ Sepulchrum *notet*, transferri *neceſſe eſt & alia verba addi, qvemadmodum dicitur* — ἀνέκβατ☉ εὐνὴ, Oppian. ἁλ. δ. v. 392. & εὐνὴ πυράεσσα *ib. v.* 557.

g Oppian. *lib.* II. κυν. v. 40.

* *Infrà ex* Homero *oſtenditur.*

Qvod ad comparationem *qvam inſtituis* Typhonis *cum* Baſchanita, *cui nomen* Og *qvod* עוג i. e. placentam uſtulatam *notat; nihil ego dicam, niſi cum hoc ejus nomine ita* inuſto, *congruere qvod* Æſchylus *de Gigante meo dicit*

Ἰπνούμεν☉ ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὑπὸ

h. e. *qvaſi* in furno placentæ *inſtar* uſtulatus. *Eodem* rejiciendum *putavi* onus *illud (nam ſic* ἶπ☉ *vertunt) apud* Pindarum *Ol.* δ. ϛρ. α

— Ὃς Αἴτναν ἔχεις
Ἶπον ἀνεμόεσσαν ἑκατογκεφάλα τυφῶν☉ —

Erat autem coctus Typhon *ab omni*

parte ad carbonem *usqve, si hoc notet* ἐφεψαλώθη, *eamqve vocem interpretari liceat per* ἠνθρακωμένος *(Confer qvæ de* fulmine, Psalm. XVIII. 8. & 13.) *Non est tamen (qvæ certè est natura* pœnarum infernalium) *in* cinerem *redactus; sicut* Achilles *non erat* φεψάλῳ σποδούμενος, *&c.* [h] *qvem* Lycophron *ideo vocat* Τυφῶνα Πελασγικὸν, *qvia fratribus à* Thetide *exustis, ipse solus flammas (seu potiùs* σποδὸν [i]) *effugit. Confer, & vide an de* Og *&* Typhone *exponi possit,* Job XL. 6, 7. qvippe Gigantum Superbia *celebris est, & in libro qvi inscribitur* Σοφία Σολομῶντος *legimus (peculiari Epithetô)* ὑπερηφάνων γιγάντων. *Qvod autem* ἀγγέλους *dicant Græci Interpretes ubi nos* עברות *legimus; fortè inde erat, qvia legebant,* אבירים *qvæ vox de* Angelis *aliqvando dicitur. Si illi verum legerint (de qvo nihil qværit* Capellus) *qvidni ego (vel tu, si vis) de* Baschanitis *tuis exponam, qvales certè legimus,* Psal. XXII. 13. אבירי בשן. *Et deinceps, si exponas* שכניהם vicini eorum, *& de* magnis viris *dici velis; statim tibi succurrent verba* Dionysii [k] περιηγητοῦ

Καὶ

h Lycoph. pag. 37.

i *Qvod (ut puto)* Tzetzes *perperàm exposuit* καῦσιν, *siqvidem ustionem non effugit, & τὸ* ἐξαλύξαι σποδὸν *certè de eo dicatur, qvi uritur & ad cineres non redigitur. deinde si* σποδὸς *esset* καῦσις, *diceretur potiùs* σποδοῦ. Oppi. *de* pisce transiliente rete, ἐξήλυξε μόροιο ἁλ. γ. 104.

k *V.* 247. *Edit. Steph.*

Καὶ τὴν πολλοί τε καὶ ὄλβιοι ἄνδρες ἔχουσι
Ἠμὲν ὅσοι, &c.
Ἢ δ᾽ ὅσσοι νοτερῆσιν ἐπ᾽ ἠϊόνεσσι θαλάσσης.
Παρραλίην ναίουσιν ἔσω Σερβωνίδος [1] ἄλμης

De Gigantibus sub Pithecusis insulis & πιθήκων *pro iis posità Colonià εἰς ἀτιμίαν (ut loqvitur* Tzetzes *in* Lycophr.) *de* Encelado *aliisqve* Gigantibus *ineptiant alii; satis mihi unus Gigas. Dabis autem veniam* (ingenio semper amice meo) *si dno adhuc fecero, anteqvàm* Typhona *relinqvam.* Primum *est, ut tester qvantum mihi suspecta fuerit fides & antiqvitas* Hymnorum, *qvi* Homerum seqvi & *tamen præ se ferre solent, donec cernerem* Etymologistam *pro illa fabula qvam tu ex iis citas (in qva Juno terram ἱμάσσει)* * *Stesichorum ipsum allegantem vetustissimum poëtam.* Secundum *est, ut, si forte tibi oboriuntur in fronte rugæ, eam* festivitate (*dicam? an* stoliditate) *aliqvà his seriis interfusà exporrigam. Solent mihi* Paronomasiæ *vel* optimæ *vel* pessimæ *sæpe risum movere. Nescio qvomodo in mente semper habens* τυφῶνα & τυφόμαι &c. (*qvamvis scirem illud partici-*

[1] Ἄλμη *pro* λίμνη *ut sæpe* λίμνη *mare notat.*

* *Id qvod de* Jove *dicitur apud* Hom. *locò qvem citas; adeoqve argui tur vel hinc auctorem* Hymnorum *non fuisse* Homerum. *Confer hoc* ἱμάσσειν *cum ritu* Lupercorum *mulieres flagellantium, de qvo* Plutarch. *in* Romul.

pium satis aptè dici, cùm de fulminatis — Τυπεὶς [m] περὶ στέρνα κεραυνῷ: *quòd idem est cum* εἰς φρένας τυπεὶς, *& quidem* fulminatorum *proprium*; *& etiam* solatis — ὑπ' Ἠελίοιο * τυπεῖσαι: *tum de* Amore ut *apud* Lycophrona, *vel qvôvis* œstrô *percitis apud* Tryphiodorum) *cùm hæc verba legerem apud* Æschylum

(— Φρένας γὰρ εἰς αὐτὰς τυπεὶς
Ἐφεψαλώθηκ' ἐξεβροντήθη σθένος.

Putavi ipsum ludere verbis τυπεὶς *&* τυφεὶς. *Similiter, cùm legerem hæc verba immediatè seqventia*

Καὶ νῦν ἀρχεῖον καὶ παρήορον δέμας
Κεῖται —

Putavi illum allusisse ad verba τυφογέρων [n] τυφώδης τυφομανὴς, *&c. qvibus cum his verbis convenire tu probè nosti, saltem qvoad interpretationem* τοῦ παρήορον *quam dat* Eustathius [o] *in* Homerum, *Il.* ψ. *v.* 603. — οὔτι παρήορος ἐστ' ἀεσίφρων. *Nam alioqvi vocem* παρήορος *usitatâ acceptione (à jugo ductâ) admittit illa membrorum expansio, qvæ* Typhona *necessario* ἀχρεῖον *reddidit.* Dextra * sed Ausonio manus est

etiam sibi ibidem contradicit in ἀεσίφρων. Hesych. παρήορος παρῃωρημένος.

m Apol. Argon. l. IV. v. 597. *de* Phaëthonte.

* Opp. lib. IV. v. 336.

n *Qui vel* ἐμβρόντητος, *vel ætate delirus nulli rei nisi cremationi idoneus est uti dicunt.*

o *A qvo qvid si dissentiam, dicente,* ὃ γίνεται παρὰ τὸ ἀείρω *vel ob illud* Oppiani Ἁλ. δ. v. 19. παρὰ τὸ φρένα πᾶσαν ἀείραι *ipse*

est subjecta Peloro. Læva, Pachyne, tibi; Lilybeo crura premuntur. Degravat Ætna caput. *Nam optimè de eo dixeris sic jacente, qvod* Homerus *de* Eurythalione, *qvem occidit* Nestor, *Il.v.*

Πολλὸς γάρ τις ἔκειτο παρήορος ἔνθα καὶ ἔνθα,

Qvin etiam verba Scholiastis ἔκλυτον, ἐκλυμένον, ἡπλωμένον, *si tanqvam de* Serpente *loqvatur* Æschylus (ut certè dicit, συνελίζων φόνον [p] *satis admittunt serpentum* nexus, gyri *&c. (prout dici solet) qvos, cùm de* Pythone *tuo loqvuntur, Poëtæ* solvi [q] *&* explicari [r] *dicunt.* * Plato ἄτυφον *&* ἁπλοῦν συνώνυμα *facit.* Σκοπῶ ἐμαυτὸν, εἴτε τι θηρίον ὢν τυγχάνω τυφῶνος πολυπλοκώτερον καὶ μᾶλλον ἐπιτεθυμμένον, εἴτε ἡμερώτερόν τε καὶ ἁπλούστερον ὢν, θείας τινὸς καὶ ἀτύφου μοίρας φύσει μετέχων. *Ne tamen totus hac in re ineptiisse videar, en tibi caussas mihi cogitationis meæ, illas qvas non sine aliqva voluptate legi (præsertim cùm res sit veteribus minus usitata) ejusdem Poëtæ aliis in locis* paronomasias, ἀντανακλάσεις, *&c. similesqve figuras. In.* ἑπτ. ἐπ. Θ. *de* Eteole *&* Polynice sangvinem confundentibus; Κάρτα δ' εἰσὶν ὅμαιμοι. *In* Agam. *in voce* κῆδος (*qvæ &* affinitatem,

p *Confer cum Æsch.* IX. I. ἐμπνέων φόνε.
q Propertius.
r Lucan. & Statius.

* *In* Phœdro *haud longè ab initio.*

tem, & luctum *notat)* Ἰλίῳ κῆδος ὀρθώνυμον, *&c.* *(de* Helena *&* Alexandro*)* *qvin alibi ejusdem tragœdiæ in voce ἄσωτος; sub finem in voce πρέσκωπος. In* Εὐμεν. *in voce* Τιμή. *Vide sis ipse (nam nescio an hæc tuo Lectori fastidium pariant)* Prometh. v. 413. *&* 630, 720, 858. *(in* λακτίζω, ἀπολακτίζω, ἀναμυχθίζομαι, *vocibus qvibus utitur* Io juvenca*)* Ἱκετ. *v.* 944. *v.* 144. 15. *v.* 168. *v.* 186. *v.* 978. 9. *v.* 1022. 3. *Scio, tibi admodum placebunt, maximè verò illa* Ἱκετ. 94. 5.

Πίπτει δ' ἀσφαλῶς κ'οὐδ' ἐπὶ νώτῳ
Κορυφᾷ Διὸς εἰ κρανθῇ πρᾶγμα τέλειον.

Possem alia multa, amice, qvæ à te dicta sunt, confirmare v. g. *illud,* viros sæpe veteribus δράκοντας dictos *(sc. ob δυσφροσύνην* Æschyl. Ἱκετ.*)* *&* *qvidni dicatur de tuo* Baschanita *in libro* Jobi *cap.* xxv. *circa finem,* ἐθανάτωσεν δράκοντα ἀποστάτην? *præsertim cum v.* 14. βροντῆς *mentio fit. Saltem* Interpretes Græci *obscuris locis, ex ea qvæ apud ipsos obtinuerat historiâ, lumen accendere conati sunt. Sed ad meum* Textum *revertor, si non jam dixeris,* Ohe!

Qvod ad שכניהם *primò utor* Grotii *verbis* Tritonas videtur indicare. *Deinde*

de veniam peto, si adjiciam qvæ Oppianus *de* Pelamydibus [s] *dixit* Ἁλ. δ. *v.* 505.

Κεῖναι γὰρ Μαιῶτις ὅπῃ ξυμβάλλεται ἅλμῃ
Ἀγρόμεναι λιμναῖον ὑπὸ στόμα καὶ δονακῆας
Ὑδρηλοὺς ὠδῖνος ἐπαλγέος ἐμνήσαντο [t]

Et qvidni fiat itidem prope Serbonida? certè causa dubitandi nulla est, an de mari Serbonidi *vicino dici verè possit, qvod idem auctor de* mari nigro *dixit*

Ἔνθ' ἄρα οἱ κευθμῶνες ὑποβρύχιοι πεφύασι
Κοῖλοι, πηλώεντες, ἀθέσφατοι, οἷς ἔνι πολλὰ
Τίκτεται —

In κευθμῶνι *hujusmodi finge etiam Typhona jacentem* [v] ὑποβρύχιον h. e. *in* imo lacu, *illic enim* ὑπόβρυχα *h. e.* extra fremitum *& vim fluctuum positi cubant pisces. Hanc jam* רפאים Typhona *v. gr. &* Enceladum &c. *in* montibus maritimis *vel sub* insulis *jacentes*; *&* vicinos eorum pelamydas *(sive* thynnos, *imò* Orcynos, cetos; *nam ad illam magnitudinem aliqvando pertingunt.) Utrisqve supra qvam dici potest ingenti mole præditus* Κευθμῶνας ἀθεσφάτους *assigno.* Typhona nunc ἐν

Κευ-

[s] *De qvibus vide* Athenæum *lib.* VII.

[t] *Rectè vertitur* obeunt. *dicitur* μνήσασθαι somni, cibi, pugnæ. &c.

[v] *Hæc vox sæpe vertitur* per humidus.

* Opp. ἁλ. δ. 36. x De qvibus suprà. p. 213.

Κεύθεσι * Λίμνης, pono, *videlicet* Serbonidis. *Illic si vis*, ἀσθμαίνοντα *fingas*, *& ejus* ἄσθμαλ τυφωνικὰς x *ventos acceptos referas. Sic enim fecerunt alibi, ubi nempe* Τυρσηνοῖς πορθμοῖς, (Oppian. ἁλ. ε. 216.) *qvi locus (an idem sit cum eo de qvo* Æſchylus *locô citatô*, Κεῖται στενῶπε πλησίον θαλασσίε, *nondum didici)* Charybdin — λάβροισιν ὑπ' ἄσθμασι Τυφαῶνος Ξαινομένlω *habuit* Oppian. *ib.* 217. *Acceptum etiam referas* Nilum inundantem; *nempe cùm* Gigas *fortiùs halitum ducit* gemitu indignabundô *protractum*; *nam hàc certè metonymiâ (i.e.* efficientis) Æſchylus Τυφῶνος μῆνος *dixit*, *ut suprà &c. eâdemqve voce usus est* Oppianus de ceto vulneribus æſtuante *ibid. v.* 212. diceres Boream ſub fluctibus commorari; Τόσσον ἀναθμαίνει λάβρον μένος — *(qvippe accusativo casu non nominati exponendum puto) sicut &* ἄσθματα Ceti *legere est v.* 221. Εὐνὰς *autem* Typhonis, *anteqvam huc confugit, cum* Homero *in Arimis fuiſſe dico*, ἐν κεύθεσι γαίης, *ut* loqvitur Heſiodus; *qvod haud aliô senſu dico, qvàm si de* Nymphis *dicerem (ut exemplô ex eodem auctore petitô rem expediam) verbis* Homeri *Il. ω. v.* 614. 15.

Νῦν

Νῦν δ' ἔν που ἐν πέτρῃσιν ἐν οὔρεσιν οἰοπόλοισιν
Ἐν Σιπύλῳ, ὅθι φασὶ θεάων ἔμμεναι Εὐνὰς
Νυμφάων — | Index nullus hunc locum indicat.

Qvin locus iste Eustathiô *ipsô auctore, ex illo altero de* Typhone παραπέφρασται.

Pace tuâ, amice, unam adhuc sagittam properè, *&* stolidè. *Si mihi per* שכניהם *liceret (de qva voce qvid dicendum nescirem) qværerem abs te; Qvid si* רפאים *de* Titanibus in Tartarum detrusis; Titanas *autem, sicut alii, de* dæmonibus *exponam; qvos Deus* ἐταρτάρωσε 2 Pet. II. 3? *præsertim cùm immediatè post verba* Textus mei *K'dz mentio facta sit* Γυμνὸς ᾅδης ἐνώπιον αὐτοῦ. *Confer qvæso mecum qvæ in* Titanum *historia dixit* Hesiod. *cum iis qvæ apud sacros scriptores legimus.* Hesiod. Θεογ. *v.* 718. — καὶ δεσμοῖσιν ἐν ἀργαλέοισιν ἔδησαν *& v.* 729.

Ἔνθα θεοὶ Τιτῆνες ὑπὸ ζόφῳ ἠερόεντι Κεκρύφαται. Sanctus Petrus (*locô citatô*) σειραῖς ζόφου παρέδωκε. *Adeoqve* tenebrarum δέσμιοι exitum invenire non potuerunt. *Sap. Sol.* Δέσμιοι σκότους καὶ μακρᾶς πεδῆται νυκτὸς cap. XVII. 2. *& v.* 8. *legimus* ἀλύτοις σκότους ἐδέθησαν. Exitum, *inqvam*, invenire

re non potuerunt: *nam hoc* Hesiodus, *dicit* τοῖς οὐκ ἔξιτόν ἐστι, *&* Plato *in* Phœdone *iisdem verbis utitur. Cum qvibus convenit iis qvæ à* Beato Luca *dicuntur* Evang. c. XVI. 26. *ubi etiam mentio fit* χάσματ☉. μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται, adeo ut ii qvi volunt hinc transire ad vos, non possint &c. *Idem* χάσμα μέγα *legis apud* Hesiod. *v.* 740. (*spatii mensuram habes* v. 723. 4.) *& etiam apud* Platonem. Hesiod. *v.* 732. — Πύλας δ' ἐπέθηκε Ποσειδῶν — χαλκείας *proinde legas sæpe apud* Euripidem *& alios Poëtas* Πυλὰς ᾅδου. *Itidem* Scriptura *ubiqve* Portas inferni *memorat. Sed vide etiam,* Job. XXXVIII. 8. c. XXVI. 10. & c. XXXVIII. 17. *ubi legitur* Πυλωροὶ ᾅδου. *Qvin* Tartarum Plato *vel sub* aqvis *ponit, vel (ut sanè homo ἀεροβατῶν nihil usqvam* certò, aut clarè *asseruit)* Πηγὴν *qvandam aqvarum facit.* Hesiodus *ibi dicit esse omnium* πηγὰς *&* πείρατα *v.* 738. *& v.* 816. *legimus* ἐπ' Ὠκεανοῖο θεμέθλοις. *Tu autem cum his confer* Textum *nostrum, & ejusdem libri partes alias modò citatas. Apud* Hesiod. *legis* Κίοσιν ἀγυρέοισι περὶ οὐρανὸν, *apud* Job. στῦλοι οὐρανοῦ. Ἀρχὴν *qvæ est apud* B. Judam, putes esse Ὀθρυν Hesiodi *v.* 632. *Qvid plura?*

imò qvid tam multa? Nempe de * Typhone *scripsi, non de* Typhæo i. e. *longiùs qvàm par erat. Receptui canam.*

Implicitam limô & morborum compede mentem

Qvid vetat innocuis exoluisse *modis*?

Mitto tibi *carmen medico*, non mitto *salutem*

Non habeo: *medicis* plurima, mitte mihi.

Te *Laudem*, vel amem dubito: qvia semper amavi

Laudabo; Laudum si est in amore nihil.

(Cur etenim invideam, cùm tantô digna labore

Lectorqve & Scriptor præmia nulla feras?)

Res Ego amore *novas veteresqve* amplector eodem

Et, si qvid potiùs, qvod sit utrumqve colo.

Scilicet *antiqvis* proficiscitur inde venustas:

Qvod, tanqvam nova sint, qvi legit illa, legat.

Nam si facta *sciam* solùm, censebo referre

An *dudum fuerint*, an *modò* facta nihil.

* *Diversa est horum verborum* qvantitas, Hesiodus *etiam res diversas facit.*

Hac eqvidem, aut longè melioribus artibus uso
Ferri à te poterat tantus, amice, Labor
Nam minimè facile est *seclo* dare lumen Α᾽δήλῳ
Neve *Giganteos* explicuisse λόγȢς.
Tu satis hoc cùm sensisses, *mutatus ab illo*
Qvod tibi jucundum sit magè munus obis.
Macte tuô *venandi* semper acumine: par sit
Olfactus, *medicis* cùm dederis operam.
Εἰν Α᾽ϱίμοις jubeas, jubeas *Typhona* valere
Si res, qvæ non est, ulla valere potest.
Vox valeat *Paan*, nisi qvæ *sanare* perito,
Et *Phœbus*, nisi qvæ conveniat *medico*.
Serpentis cæsi *mutatô nomine de te*
Fabula sit, cùm nos vel mala nostra necas.
Terrigenûm cura fuerit tibi nemo, nisi *Humor*
Terreus; Occidas hunc ubicunqve vides.
Terrigenas lege, qvæso, sed *Herbas*: cum *Jove* nulla
Pugnavit, *monstrat qvalibet Herba deum*.

Amantissimus tui
ZACH. BOGAN.

FINIS.

In Nomine Domini Noſtri
JESU CHRISTI.

VERITAS CREATIONIS MUNDI

Prout à Moſe deſcripta eſt oſtenſa, in traditionibus gentium ac vetuſtiſſimis antiqvitatis profanæ monimentis ad convincendos Atheos.

Præſide

M. ADAMO TRIBBECHOVIO,
Sacr. & Profan. Hiſtoriæ Prof. Ordin. Facult. Philoſ. h. t. Decano

Reſp.

BARTHOLDO JOHANNE BRAMMERO,
Kilòn. Holſ.

D. V. D. die Auguſti CIↃ IↃ C LXVIII.

In Nomine Domini Nostri

JESU CHRISTI.

VERITAS CREATIONIS MUNDI

Prout à Mose descripta est ostensa, in traditionibus gentium ac vetustissimis antiquitatis profanae monimentis ad convincendos Atheos.

Praeside

M. ADAMO TRIBBECHOVIO,

Sacr. & Profan. Historiae Prof. Ordin. Facult. Philos. h.t. Decano

Resp.

BARTHOLDO JOHANNE ERAMMERO,

Kilon. Holf.

D.P.D. die Augusti cIↃ IↃ C LXVIII.

CAPUT I.

Prolegomena. *De Atheis & Philosophis hujus seculi, mundi creationem impugnantibus. Peyrerii, Vecchieti, Vanini libri in eam sententiam. Anonymi cujusdam scripta de hominibus cœlestibus & præadamitis. Qvomodo hi homines ex Traditionibus gentium refutari possint. Traditio illa & a Philosophis allegatur. Primi Theologi præstantissimi, cum DEO versati. Qvare DEI verbum scriptô a Mose comprehensum fuerit. Qvomodo illud gentibus, apud qvos traditio fermè obscurata, innotuerit. Cadmi conciones de Mose. Biblia S. patuère Gentilibus. Excerpta Gentilium ex S. Scriptura. Mosis auctoritas apud ethnicos Scriptores. Qvare cùm vetusta traditio singulas ætates pervagata referat mundum cœpisse, qvemadmodum & Moses memorat, atqve sapientes inter ethnicos, Mosaicas historias, cùm de rerum ortu qvidpiam prodiderunt, maximi semper fecerint, easqve etiam transcripserint, impii*

maximè & ſtolidi Atheorum conatus ſunt adverſus divinas Scripturas.

Incidimus Proh dolor! nos Chriſtiani in ea tempora, qvæ portenderat Apoſtolus (2. *Tim. II. v.* 3.) editura ſimul in denſa ſcelerum errorumqve colluvie βλασφήμους, id eſt, in DEUM pariter ac DEO deditos manifeſtè injurios. Inter nos eheu! qvi ad Cœleſtia gaudia vocati ſumus tam ſplendidô gratiæ præcôniô, tam ingrati reperiuntur homines, ut non tantùm cuniculis perniciosſarum aſſertionum, ſed & apertô inceſſant convitiô, qvidqvid ad ſalutem ſibi à DEO deſtinatum, qvidqvid profuit ab orbe condito, qvidqvid Judæis ſanctum ac proſelytis venerabile fuit, idem etiam à Chriſto æterni DEI Filio mortis pignore obſignatum, à martyribus ſangvine conteſtatum, atqve per ſanctorum patrum manus ad nos ſalutaris inſtar depoſiti pervenit: Non poſtulabo viritim atheos è triviis, nec ſtylô compungam virulentas ac atroces in Sacram Scripturam lingvas hominum fortunâ ebriorum & maleferiatæ ſcien-

ſcientiæ; diſcent hi malô ſuô, cùm ad alterius vitæ diluculum expergefacti fuerint; cum illis mihi res erit, qvi philoſophorum nomen affectantes recta cum ratione inſaniunt, qvodqve de mundi creatione, lapſu parentum, ac æterno evangelio revelatum nobis DEI verbum eſt, aut criminantur impiè, aut ratiociniis naturalis prudentiæ velut impedimenta qvædam ſcientiæ ſubnectunt. Et qvis non miretur hanc impietatis ſcenam publicè in theatro orbis agi emiſſis imò etiam admiſſis libris haud paucis, qvibus pro argumento gentiliſmus, pro ratione S. Scripturarum criminatio. Qvotus qviſqve ſciolorum noſtri ſeculi ſe non inveniſſe exiſtimat non qvod pueri in faba, ſi qvô Atheiſmi magiſtrô aut Peyreriô aut aliô aliqvô Diagorâ ſupra Moſen & mundi natales ſapere poſſe videatur; Cùmqve magna penes ſe Philoſophorum nomina videt, vel DEO ipſi ſanctiſqve ejus Prophetis ac amanuenſibus bellum indicere non veretur.

II. Qvod ſi autem ſcire lubeat, qvibus philoſophis hæc contra DEUM arena ſpargatur, illuſtriſſimi Bignonii

verbis in Epistola * Francofurti (A. C. M. I϶c. LVI.) impressa id ipsum docebo. *Auctor* inqvit, *libri de Praadamitis* (Peyrerius) *adhæret novorum seculi hujus Philosophorum opinioni; qvi sibi pro principio æternitatem mundi constituunt. Anglus qvidam ævi nostri Thomas Hobbæus, Vir Eruditissimus præstantissimusqve Philosophus in libro; qvem nuper edidit, qviqve eódem cum cæteris hujus generis doctis ac curiosis Viris tendit, hinc se explicat, ne in leges publicas impingat; atqve ut difficultates effugiat: Dicit enim materiam de initio mundi aut de ejus æternitate non esse argumentum Philosophiæ aut scientiæ naturalis, verum fidei ac religionis, ubi audiendi sint ii, qvibus ejus rei cura delegata est, additqve hoc respectu nullam esse demonstrationem ac ne ratiocinationem qvidem, qvæ eò usqve progredi qveat, & miratur Geometras, qvi sibi contrarium persvadere potuerint. Probè intelligo Cartesium ejusqve Metaphysicam, ab ipso innui, cujus nomen inter claros ævi hujus viros recenset, à qvibus illustratam & renovatam ait fuisse Physicam, ut post eos non opus sit immorari Veteribus, qvi in plerisqve rerum naturalium causis* nihil

* Addidit hanc ipsam epistolam novo suo Prometheo Præadamitarum Plastæ ad caucasum relegato doctiss. Jo. Henr. Ursinus Spirensis b. r. p. 161. s.

nihil penitus cognoverint, & longè minùs in eas penetraverint. Quos laudat sunt Copernicus, Galilaeus, Harvejus & Gassendus. Hac ars illa est; ne qvis se planè contra hanc declaret sententiam, qvam ego non modò destructionem creationis supra scriptura fundatæ: verùm etiam omnigenæ impietatis ac morum depravationis continere fontem ac originem existimo, qvæ qvidem extra controversiam gliscere in iis videmus, qvi è schola hujus licentiæ prodeunt, & tumetipse experientiâ nôsti, ejusmodi hominum plus satis esse Lutetiæ. Hetruscus qvidam nomine Vecchietus librum de Astrologia ante viginti aut XXV circiter annos conscripsit, qvi suppressus fuit, neqve eum deinceps vidi, ac pœnituit me, qvod eum tum temporis non comparaverim, ut pro exemplo istiusmodi somniorum, qvalia sunt ista, esset. Optimus ille senex Galilæus hac qvoqve persvasione ducebatur, ac freqventer dicebat, nihil esse mundo vetustius, iisdem verbis qvibus olim in responso suo Philosophus qvidam è priscis in convivio septem sapientum usus est. In summa hoc mysterium qvoddam doctrinæ inter eos est, qvi aut curiositate aut licentiæ studiô, aut potiùs qvâdam animi inqvietudine, &

morum inconstantiâ ducti omnia in contro- versiam vocant, neqve qvidqvam credere volunt, nisi qvod sensus illis sui dictave- rint. Hactenus qvidem Bignonius. Un- de discimus qvàm fermè endemius hic Philosophorum morbus alibi factus sit, ut qvò magis ad naturalis scientiæ usum proficerent, eò minorem veritati reve- latæ fidem haberent, atqve sic qvoqve mundi creationem, qvæ facti est, atqve solius opus DEI, alienô rationis ariete concuterent. Neqve enim solus hîc aut Peyrerius aut Vecchietus proscribendi, atqve averruncanda cum eis Gentilium qvorundam Mathematicorum schola; latiùs eheu pestis illa serpsit, qvandoqvi- dem M. Mersenni & Petri Gregorii Tholosani ætate in Gallia adeo excreve- runt Naturalismi ac Scepticismi sentes, ut multa millia numerarentur eorum, qvi insuper haberent Creatorem mundi agnoscere, & fidem in Redemptorem ludum facerent. *De qvibus Deistis* (ita namqve secta atheorum vocatur) *videri possunt Mersenni qvæstiones in Genesin, Greg. Tholosanus comm. in VI. art. mir. c.* 1. §. 1. *& seqq. Gisberti Voetii disputatio de Atheismo* (tom. 1. disp. Selectar.) &

qvi eandem materiam repetiit *Spizelius in Scrutinio Atheiſmi.* Præter eos autem, qvos ſuprà notavimus; totus Vanini liber, qvem *Amphiteatrum æternæ providentiæ inſcripſit*, nihil aliud eſt, ſiqvidem levatô qvod dicitur velô inſpiciamus, qvàm DEI inficiatio mera, proqve mundi æternitate ac divinitate inſtituta exercitatio, qvam Atheiſmi inſaniam luculentiùs prodidit editis dialogis longè peſtilentiſſimis. Teſtatur adhæc Petavius (*Theologicorum dogmatum Tom. III. l.* 1. *c.* VI. §.3.) vidiſſe ſe duas lucubratiunculas, alteram (cujus editio mox auctoritate ſuperiorum ſuppreſſa ſit) calamô ſcriptam, alteram ad ſeculi ludibrium & invidiam typis etiam commiſſam, qvarum auctor homines ante Adamum commentus ſit, nec alias deſierit de tribus Magis anilem & inſulſam texere fabulam; Tres ſiqvidem Magos Henochum, Melchiſedechum & Eliam faciat, Melchiſedecum autem hominem cœleſtem ante Adam ipſum imò ante lucem conditum, & cùm hîc aſſimilatus Filio DEI dicatur; (*ad Hebr. VII.* 3.) Chriſtum qvoqve in cœtu hominum cœleſtium ante terram & lucem conditum fuiſſe, cùm & Paulus

ajat;

ajat; *Primum hominem de Terra terrenum, secundum hominem de cœlo cœlestem* (1. Cor. XV. 47.) Et Psaltes; *ex utero ante Luciferum genui te.* Qvô ipsô veterum Melchisedecianorum errorem ab ecclesia olim proscriptum hic Mango neqvam interpolavit. Et talia qvidem monstra seculum nostrum tulit qvibus si accensere vellem omnes illos, qvi de mundi creatione Historiam elevant, ut qvod in lancibus libræ usu venit, non sine pondere phantasmata ψευδωνύμε suæ, qvâ sibi placent, scientiæ subsidant, dica hæc non paucis dissertationum paginis, sed integrô opere scribenda foret. Faciam itaqve qvod in hac causa necessarium maximè est, cumqve de eo dubitent homines ab Ecclesia extorres, utrum verè ita sese habeat mundi creatio, ut à Mose tradita est, & num sex dierum intervallô omnes creaturarum species productæ, itemqve an unus à DEO homo conditus sit, cujus satu omne dein hominum genus prognatum, non philosophicis rationibus facti hujus fidem firmabo, sed creditum ita antiqvissimis mortalium fuisse, perinde ut Moses refert, eandemqve ad posteros

pro-

propagatam traditionem fuiſſe, ex ipſorummet Gentilium monimentis Bono cum DEO oſtendam. Qvod anteqvam aggrediar, ipſo in limine diſqvirendum prius erit, unde iſta gentilibus creationis notitia & tam plenus cum Moſaicis conſenſus, ut nec in verbis interdum aliqva cernatur diſcrepantia. Sunt autem duo fontes, unde veram iſtam de primordiis mundi ſententiam Moſaicæ conſentaneam haurire potuere, Traditio ſcilicet, atqve ipſa Sacrorum voluminum lectio.

III. Qvod traditionem attinet, nemo facilè negaverit, eam antiqvis ſcripturæ loco fuiſſe. Ex hac ipſa autem traditione inter gentes veritas creationis conſtitit, qvin & aliarum rerum, qvæ illam ſubſecutæ ſunt. Unde vulgi ſermonibus divulgata impoſterum, & depravationum nebulis eam veſtire in proclivi, condere autem prorſus eqve ſenſu mortalium & fama publica auferre impoſſibile foret. Digna notatu, verba ſunt, qvæ auctor libri de mundo (extat inter Ariſtotelicos) Capite VI. habet. Ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ Θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ Θεοῦ ἡμῖν συνέστη-

κεν.

σιν. οὐδεμία δὲ φύσις αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν αὐτάρκης, ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας. *Vetus igitur sermo est à majoribus proditus inter omnes homines, universa tum ex DEO tum per DEUM constituta fuisse ac coagmentata, nullamqve naturam satis instructam ad salutem esse posse, qvæ citra DEI præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit.* Idem auctor *C. VII. in fine libri.* Ὁ μὲν δὴ Θεός, ὥσπερ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν, καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθείᾳ περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. τῷ δ' ἀεὶ συνέπεται δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός. ἧς ὁ εὐδαιμονήσειν μέλλων, μακάριός τε καὶ εὐδαίμων ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος εἴη. *UT ANTIQVUS SERMO est, DEUS & principium & finem & media rerum omnium tenens rectâqve lineâ incedens, operatur ille qvidem secundum naturam, è vestigio comitem habens justitiæ præsidem, qvam Dicen nominaverunt, divinæ legis vindicem, simul ut qvicqvam sanctionum ejus prætermissum est. Cujus ut sit particeps numinis, jam inde oportet ab initio, qvi ad vitam beatam evasurus est atqve felicem.* Qvibus ultimis verbis divina veritas & nostra haud parum firmatur religio,

gio, qvandoqvidem omnia veræ felicitatis momenta in sola DEI gratia ponuntur. Plato libro X de Legg. ad λόγους λέγοντας περὶ Θεῶν τοὺς μὲν παλαιοτάτους, ὡς γέγονεν ἡ πρώτη φύσις οὐρανοῦ, τῶν τε ἄλλων; *vetustissimos de DEO sermones* provocat, *qvomodo primùm cœli natura dein reliqvorum omnium extiterit.* Ita etiam in Phædone immortalitatem animæ ex Traditione probat, παλαιὸς μὲν οὖν ἐστί τις ὁ λόγος οὗτος, οὗ μεμνήμεθα, ὡς εἰσὶν ἐνθένδε ἀφικόμεναι ἐκεῖ, &c. *Vetus*, inqvit, *sermo iste extat, cujus meminimus, superesse animas qvæ hinc illuc abiere.* Alibi ubi de eadem materia agit, Πιστεύειν τοῖς τε ἄλλοις φήμαις περὶ τὰ τοιαῦτα, οὕτω πολλαῖσι καὶ σφόδρα παλαιαῖς οὔσαις, *credere* jubet *sermonibus de hisce, siqvidem multi sint & valde antiqvi.* Extra Græciam qvoqve ea traditionum à majoribus acceptarum auctoritas erat, ut qvæcunqve ita scita erant, κύριαι δόξαι haberentur. Cicero (Tusculan. qvæst. l. 1.) hanc in rem ita. *In omnibus causis & debet & solet valere plurimùm & primùm, quid ab omni antiqvitate, qva qvo propius aberat ab ortu & divina progenie, hoc melius ea fortasse, qvæ erant vera, cernebat. Itaqve unum*

illud

illud erat insitum priscis illis, qvos Cascos appellat Ennius, esse in morte sensum, neqve excessu vitæ sic deleri hominem, ut funditus interiret. Ad eundem modum & Brachmanes Indi & Gallorum Druides & Septentrionalium Runæ eam, qvam à majoribus acceperant de Origine mundi traditionem, studiosè satis conservarunt ipsis etiam testibus Græcis. Unde Celsus acerrimus qvamvis Christianæ religionis hostis, ubi de veritate scripturarum sermo incidit, fateri coactus est (apud Origenem l. 1. pag. 14.) Ὁμήρου Γαλακτοφάγους καὶ τοὺς Γαλατῶν Δρυΐδας καὶ τοὺς Γέτας σοφώτατα ἔθνη εἶναι καὶ ἀρχαῖα περὶ τῶν συγγενῶν τοῖς Ἰουδαίοις λόγοις διαλαμβάνοντας. *Homeri Galactophagos & Gallorum Druides & Getas gentes sapientissimas & antiqvissimas esse, tractantes cognata Judæorum opinionibus.* Et videri hîc potest Edda Islandorum qvæ est antiqva traditio Runarum in literas relata (edita à Resenio) itemqvè qvæ Rogerius de Brachmanibus commentatus est. (Part. 11. c. 1. & seq. c. v.) Insaniæ itaqve proximum foret, id rationibus infringere velle, qvod progenitorum auctoritas & conscientia,

pu-

publica item inter posteros fama stabilitum eunt. Qvare eadem fides hisce παλαιοῖς & ἀρχαίοις λόγοις habenda, qvæ coloniis in certum qvendam locum aliunde deductis, atqve id ipsum progenitorum suorum fide ac monimentis docentibus. Qvos si indigenas aut αὐτόχθονας alii ejusce rei ignari demonstrare ex ratione vellent, næ illi meritò ludibrium toti genti deberent.

IV. Sed nunc alios monstro canales, per qvos ad gentes Origo mundi & prima ejus historia, qvemadmodum divinis consignata fuit tabulis, αὐτολεξεὶ etiam aliqvando pervenit. Primis humani generis parentibus ac antiqvissimis adeo colonis mundi, cùm verbum scriptum nondum extaret, DEUM ipsum & ab eo legatos Angelos complura revelâsse, nemo facilè inficiás ibit, nisi qvi planè in sacris literis hospes sit. Nec Gentiles idipsum diffitentur. Aristoteles (*l. 1. Metaphys. c. 111.*) ubi de primis principiis agit, vehementer commendat παμπαλαιοὺς καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως καὶ πρώτους θεολογήσαντας. *Admodum antiqvos, nimis à suo seculo remotos & PRIMOS adeo THEOLOGOS.* Eosdem autem à

DEO immediatè doctos referunt itidem Gentiles. Hesiodus apud Origenem (*l. IV. contr. Cels.*)

Ξυναὶ γὲ τότε δαῖτες ἔσαν, ξυνοὶ ϑ' ϑόωκοι
Ἀϑανάτοισι Θεοῖσι καταϑνητοῖς τ' ἀνϑρώποις

Communes epulas & mixta sedilia Divis
Ponebant homines.

Eadem apud Pausaniam de primis hominibus extant Arcadicorum initiô (pag. 237.) Οἱ γὰρ δὴ τότε ἄνϑρωποι ξένοι καὶ ὁμοτράπεζοι ϑεοῖς ἦσαν ὑπὸ δικαιοσύνης καὶ εὐσεβείας. *Erant prisci homines Diis ipsis hospites & convivæ pro justitiæ & pietatis merito.* Ovidius bis occasiones exprimit, qvare ad homines Dii accesserint. In Fastis (l.V.v.495.f.) Jupiter cum duobus comitibus it ad senem Hyreum (observa hîc historiam Abrahami DEUM & Angelos hospitiô excipientis, sed sub fabulæ involucris.)

Jupiter, & lato qvi regnat in æqvore frater
Carpebant socias, Mercuriusqve, vias.
v. 499. f. *Fortè senex Hyreus angusti cultor agelli*
Hos videt, exiguam stabat ut ante casam, &c.

Alibi

Alibi Jovem, qvem hîc Hyreo filium promisisse scripserat, ad interitum tectorum Lycaonis (i. e. Sodomorum) ivisse prodit. (*Metam. l.* 1. *f.* VI. v. 211. f.)

Contigerat nostras infamia temporis aures:
Qvam cupiens falsam, summô delabor Olympô,
Et DEUS humanâ lustro sub imagine terras.
Longa mora est, qvantum noxæ sit ubiqve repertum,
Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero.
Manala transieram, &c.
Arcados hinc sedes & inhospita tecta tyranni
Ingredior.
—— *Irridet primò pia vota Lycaon* (*vide* v. 221.
Genes. c. XIX. v. 14.)
Nocte gravem somnô nec opinâ perdere morte v. 224.
Me parat, &c. *Ego vindice flammâ* v. 230.
In dominum dignos everti tecta penates.

Hinc & Barbari suarum traditionum veritatem iisdem probant auspiciis, ceu vi-

dere est in *Edda* Runarum & *Vedam* Brachmanum. Qvod autem propiores hôc pactô hominibus Angeli, qvos Veteres Deos nominant, tradiderint mortalibus veræ sapientiæ regulas, disertissimè Plato affirmat in Philebo (pag. 74.) Οἱ μὲν παλαιοὶ, κρείττονες ἡμῶν, καὶ ἐγγυτέρω Θεῶν οἰκοῦντες φήμην παρέδοσαν, ὡς ἐξ ἑνὸς, &c. & post aliqva. Οἱ μὲν οὖν Θεοὶ (ὅπερ εἶπον) οὕτως ἡμῖν παρέδοσαν σκοπεῖν, καὶ μανθάνειν καὶ διδάσκειν ἀλλήλους. οἱ δὲ νῦν τῶν ἀνθρώπων σοφοὶ ἓν μὲν ὅπως ἂν τύχωσι, καὶ πολλὰ θᾶττον ἢ βραδύτερον ποιοῦσι τοῦ δέοντος, μετὰ δὲ τὸ ἓν, ἄπειρα εὐθύς. Τὰ δὲ μέσα αὐτοὺς ἐκφεύγει. *Etenim prisci nobis præstantiores Diisqve propinqviores, hæc nobis oracula prodiderunt, qvod cùm ex uno &c. Dii ergo, ut diximus, sic nobis investigare, discere, & mutuum docere dederunt. Qvi verò nunc extant ex hominibus sapientes unum qvidèm ac multa, utcunqve contingit, velociùs ac tardiùs qvàm decet inducunt, & post unum indefinita continuò, media verò illos effugiunt.* Videtur hîc nonnulla pro more Plato qvæsitis involvere obscuritatibus; hoc autem liqvet, multò plùs illum veteribus, qvippe à DEO doctis, qvàm recentioribus sui ævi philo-

losophis, utpote plurium ignaris, tribuere.

V. Atqve sic qvidem ipsi Gentiles agnovere qvondam Revelatione opus fuisse ad pernoscendam DEI voluntatem, idqve exemplis à sacrarum literarum monimentis haud multum abludentibus confirmârunt. Cùm autem indignos semet propiori DEI alloqviô præstitissent, qvippe Dæmonibus aures animumqve præbebant, eosdemqve ad se idolorum cultu alliciebant; non est, ut miremur, DEUM â gentibus aversum Abrahamiticæ familiæ sua patefecisse mysteria; atqve ut eorum perpetua duraret memoria, victuris consignari chartis jussisse. Origenes ubi de Revelatione prima agit, qva illa, qvæ Dei sunt, innotuere hominibus, nostra hæc partim confirmat, partim etiam aliunde probat (*cont. Cels. IV.*) Ὁ θεῖος, inqvit, τοῦ Μωϋσέα λόγος εἰσήγαγε τοὺς πρώτους ἀκούοντας θειοτέρας φωνῆς καὶ χρησμόσινα ὁρῶντας, ἔσθ᾽ ὅτε ἀγγέλων Θεοῦ ἐπιδημίας γεγενημένας πρὸς αὐτούς. καί γε εἰκὸς ἐν ἀρχῇ τοῦ κόσμου ἐπὶ πλεῖον βεβοηθῆναι τὴν ἀνθρώπων φύσιν. ἕως προκοπῆς γενομένης εἰς σύνεσιν καὶ τὰς λοιπὰς ἀρετὰς καὶ τὴν εὕρεσιν τῶν τεχνῶν δυνηθῶσι,

καὶ καθ' ἑαυτοὺς ζῆν οὐ χρῄζοντες, ἀεὶ ἐπιτροπευόντων καὶ οἰκονομούντων αὐτοὺς μετὰ παραδόξου ἐπιφανείας τῶν ὑπηρετουμένων τῷ τοῦ Θεοῦ βουλήματι. *Sacra Scriptura qvoqve* (qvemadmodum & Gentiles) *apud Moſem inducit priſcos illos homines audientes divinæ vocis oracula, & videntes interdum ad ſe venire Angelos hoſpites. Par enim erat, ut initiò mundi magis adjuvaretur humana natura, donec intellectu ad virtutes arteſqve proficeret, qvibus inventis per ſe vitam poſſent tueri, ne ſemper egerent curatoribus miraculoſe ad miniſteria ſua juſſu DEI ventitantibus.* Poſtqvam autem in literas relata erant divina verba, jamqve tot miraculis confirmata, non poterant non divulgari inter gentes, eaſqve incredibili qvâdam admiratione percellere. Non evolvam hîc faſtos Ægyptiorum, ut exſertæ divinæ manus terribilia opera ac nefaſtos oſtendam dies illos, qvos ob plagas à DEO immiſſas atrô carbone Ægyptii notârunt; nec omnia illa, qvæ de Moſe Gentiles memorant ſacræ hiſtoriæ conformia, prolixiùs ingeram, qvippe alieni illa argumenti ſunt; ſed præconia ſaltem Hiſtoriæ Moſaicæ ſubnectam, qvodqve ex illa ſapere in prima felicitatis

ac eruditionis abstrusioris parte posuerint Gentiles, in dissertationis limine paucis declarabo. Prælucente facem DEO securi Ægyptum linqvebant Israëlitæ. Qvaqvaversus iter instituebant, non seqvebatur sed anteibat eos victoria, qvandoqvidem DEUS manus suas cum eorum hostibus conserebat. Qvotqvot iis obsistebant, internecioni ad unum omnes devovebantur, paucis exceptis, qvos non virtus sua sed fuga eripiebat. Ita qvidem pernicibus fugientium alis Israëlis ac operum DEI gloria totum fermè pervadebat orbem. Ejus monimentum in Africa Procopii adhuc ætate duabus inscriptum columnis duravit, in qvibus hæc verba Phœnicum lingvâ lecta sunt. NOS MAURUSII SUMUS QVI FUGIMUS A FACIE JOSUÆ FILII NUN PRÆDONIS [*l.* 11. *bellô Vandal.*] In Græcia Cadmus קדמני sive Cedmonæus, ex accolis Hermonis montis, unde nomen Harmonies uxoris ejus, unus ex Gibconitarum primoribus, ex publica clade postqvam salvus evaserat contractâ cum Josua armorum societate, Res gestás DEI veriùs qvàm hominum, tantô successu disseminavit, ut venera-

bile & sacrosanctum nomen DEI יהוה sub Ἰάω Jachi f. Bacchi voce; promissus autem שילה Siloh [*Genes.* XLIX. 10.] Sileni nomine coleretur; Musarum sacra Hebræis salutarentur nominibus, ipsaqve Delphici Apollinis delubra & cortinæ ad tabernaculi Mosaici formam & figuram struerentur; qva de re ex professo, si DEUS volet, alibi agemus. Qvod si ergo Phœbades aliqvando solitæ φιλιππίζειν, seseqve ad nutus sciscitantium conformaro, qvis miretur sub Cadmo instauratore Delphici sacrarii hos versus de Judaicæ Religionis veritate velut oraculo effusos. Retulit eos Porphyrius, [*l.* 1. *de Philosophia responsor.*] atqve ut à nobis recensentur, extant apud Eusebium [*de præpar. Evang. l. IX. c.* III.]

> Χαλδαῖοι μοῦνοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ
> Ἑβραῖοι.
> Αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν
> ἁγνῶς, &c.

Interpres ita reddit

> *Chaldæis, qvæ vera esset sapientia tantum*
> *Hebræisqve ipsis concessum agnoscere, pura*
> *Æternum qui mente colunt Regemqve Deumqve.*

At

At in his qvæ ſeqvuntur, Judæi ſoli palmam ferunt.

Dura via illa nimis æratis clauſaqve portis,
Qvæ vitam nobis aperit donatqvè beatam.
Nec verò verbis facile enarrarier ullis
Exponiqve qveat, illô qvô ſemita ducit.
Qvam primi ante omnes cœperunt tradere pulchras
Qvi Nili epotant lymphas. Phœnicibus inde
Proximaqve Aſſyriis ea cura: Sed inclyta longè
Gens Ebræa illam novit, notamqve recepit.

Qvod ſi itaqve in Græcia is de Hebræis rumor ſparſus, veriſimile certè eſt, multo magis vicinos in admirationem raptos, eoſqve tantùm non exoſculatos fuiſſe, qvæcunqve ab hoc addicto DEI populo cœleſtis veritatis arcana haurire poterant. Manifeſtum in Tyriis & Berytiis exemplum eſt, apud qvos Sanchoniathon condiderat hiſtoriam ab origine mundi, qvam Philo Byblius ſub Adria-

no Imperatore Græcè reddidit. De hoc Sanchoniathone Porphyrius *(l. IV. Cont. Christian.)* commemorat qvòd *antiqvissimæ historiæ monimenta habuerit ab Hierombalo Sacerdote DEI Jao.* ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως τοῦ θεοῦ Ἰάω. Qvænam autem sint illa monimenta, nisi sacræ literæ, qvippe à Sacerdote DEI Jao, id est, Jehovæ DEI Israëlis, acceptæ fuere? De qvo nomine Diodorus l. 1. prodit, *qvod Moses apud Judæos legibus suis inscripserit* τὸν Ἰάω ἐπικαλούμενον θεόν. *DEUM qvi Jao vocatur.* Et certè ipsa nominum harmonia indicat, cùm, à qvo Sanchoniathon Berytius seriem rerum & temporum ab Origine mundi habuit (Jerombalum) Jerubbaalum seu Gedeonem fuisse, præsertim cùm isto ex commercio Jerubbaalis seu Gedeonis cum Berytiis contigerit post ejus fata, *ut Israëlitæ constituerent sibi Baal Berith in DEUM (Judic. VIII. 33.)* Fuit autem Baal Berith, Dea Βηρούθ, cujus mentio fit in iisdem Sanchoniathonis fragmentis apud Eusebium *(de præpar. l. 1. c. VII.)* His Sanchoniathonis paginis creatio mundi & omnium rerum genesis tradita ad plurimorum manus atqve etiam ad

primos illos pervenit, qvi Sapientiæ nomine inter Græcos celebrantur. Qvi primi illam acceperunt Tyrii fuerunt. Sanchoniathon, inqvit Porphyrius locô suprà citatô, ἀναθεὶς τὴν ἱστορίαν Ἀβιβάλῳ τῷ Βασιλεῖ Βηρυτίων. *Abibalo inscripsit historiam Regi Berytiorum*; cùm autem tunc temporis Berytiis Reges non præfuerint, & verò inter Tyrios Reges, Abibali nomen celebre sit, qvippe cujus meminit Dius in historia Phœnicum *(apud Joseph. l. 1. contr. Appionem)* his verbis, Ἀβιβάλου τελευτήσαντος, ὁ υἱὸς αὐτοῦ Εἴρωμος ἐβασίλευσεν, *mortuô Abibalô filius ejus regnavit Iromus* (Hiramus is est, qvi cum Davide & Solomone amicitiam coluit,) Porphyrium leviter erravisse, & Tyriorum Regi inscriptas Sanchoniathonis paginas fuisse constat. Qvod si ergo Phœnicibus in adyta Religionis Judaicæ & sacra Mosis scripta inspicere aliqvando datum fuit, ad Græcos qvoqve philosophos eorum usus & memoria eô ipsô pervenit, qvoniam Phœnicibus magistris Græci primùm sapere cœperunt. Thales Græcanicæ Philosophiæ auctor gente Phœnix, Milesiorum autem civitate donatus fuit, ut ex Laërtio

constat. Is autem, ut ex Aristotele videre est (I. Metaph. VII.) ad παμπαλαιοὺς καὶ πρώτους θεολογήσαντας provocavit, & Oceanum & Thetyn ante Terram fuisse prodidit, de qvo ex initio Geneseos certus esse poterat. Qvid autem de Pherecyde & Pythagora dicemus, qvorum hic Italicæ Philosophorum scholæ princeps extitit. Ita de hisce Suidas in Pherecyde Διδαχθῆναι δὲ ὑπ' αὐτοῦ Πυθαγόραν λόγος, αὐτὸν δὲ οὐκ ἐσχηκέναι καθηγητὴν, ἀλλ' ἑαυτὸν ἀσκῆσαι, κτησάμενον τὰ Φοινίκων ἀπόκρυφα βιβλία. *Fama est, Pherecydem esse præceptorem Pythagoræ, sed à nemine institutum; exercuisse autem seipsum, cùm comparâsset sibi reconditos Phœnicum libros.* De Stoicis res pariter certa, qvippe qvi Zenonem Cittieum gente Phœnicem magistrum seqvuntur. Φοῖνιξ ἐπεκλήθη, ὅτι Φοίνικες ἐποικῆσαι τὸ πολίχνιον ἐτύγχανον. *Phœnix vocabatur, qvoniam Phœnices oppidi incolæ fuerunt.* Et Laërtius, Ζήνων Κιττιεὺς, ἀπὸ Κύπρου πολίσματος Ἑλληνικοῦ Φοίνικας ἐποίκους ἐσχηκότος. *Zenon Cittieus ex Cypria civitate Græcanica, sed qvæ Phœnicas incolas haberet.* Hic autem non possum, qvin illos Hieremiæ [c. 11. 10.] interpretes notem, de Cypro & Zenonis scho-

scholæ laude intelligentes, (cùm Cethim interdum Cyprum sæpius insulas Græcas notet.) *Transite in insulas Cethin & videte & considerate vehementer, & videte, si factum est hujuscemodi.* Atqve sic qvidem cùm à Judæis Phœnices, à Phœnicibus Græci potissima sacræ suæ scientiæ instituta acceperint, non opus est, ut vel Pherecydem Judæum; circumcisum item & ab Ezechiele Propheta doctum Pythagoram, aut Platonem proselytum atqve à Jeremia conversum cum Patribus nonnullis statuamus, nisi fortè per Φοίνικας in Suidæ loco, ex qvorum sacris & reconditis scriptis Pherecydes profecit, Judæi sint intelligendi, ut apud Herodotum initiô operis; & pro Mocho seu Moschô, à qvo præcepta sua accepit Pythagoras, legamus Mosen in notabili illo Jamblichi loco de vita Pythag. c. III. Συμβαλὼν τοῖς τε Μώχου τοῦ φυσιολόγου προφήταις ἀπογόνοις καὶ τοῖς ἄλλοις καὶ Φοινικικοῖς Ἱεροφάνταις. *Versatus est Pythagoras cum Prophetis, qvi Mocho Physiologo successerant, atqve etiam cum aliis, item & Phœniciis Sacerdotibus.* Sive autem proximè à Judæis sive à Phœnicibus qvædam Sacræ Scripturæ ὑπο-

μνήματα acceperint Græci; id olim extra controversiam fuit, qvæ de primis rerum principiis vera dicerent, cum Judaicis dogmatibus convenire. Aristobulus Peripateticus Philosophus, gente Judæus, & Ptolomæi Philometoris præceptor, 2. *Maccab.* 1. 10. de Pythagora Platone & Aristotele idipsum qvondam professus, ut est apud Clementem *Strom.* 1. & Eusebium *præpar. Evangel.* l. IX. c. VI. Et agnovêre idipsum Patres Christiani, Justinus *Parænet.* Clemens *loc. cit.* Eusebius *librô XI. totô*, Theodoretus *Therapeutic.* l. II. VI. & XI. Nec ipsi Gentiles id diffitentur. Pythagoras Hermippo antiqvissimo scriptori (apud Josephum cont. App. l. 1.) dicitur *μιμούμενος τὰς Ἰουδαίων καὶ Θρακῶν δόξας imitatus Judæorum & Thracum dogmata.* Platonem etiam Nomenius plagii qvondam accusavit, ut Suidas refert in Numenio. *οὗτός ἐστιν τὴν τοῦ Πλάτωνος ἐξελέγξας διάνοιαν, ὡς ἐκ τῶν Μωσαϊκῶν τὰ περὶ τοῦ Θεοῦ καὶ κόσμου γενέσεως ἀποσυλήσασαν. Καὶ διὰ τοῦτό φησι. Τί γε ἐστι Πλάτων; ἢ Μωσῆς Ἀττικίζων. Numenius is ipse est, qvi Platonis sententiam coarguit, qvippe qvæ compilata ex Mosaicis scriptis sit, qvibus de DEO & Mundi*

ortu

ortu vera traduntur, & ideo dicit. Quid est Plato, nisi Moses Atticè loqvens. Is ipse tamen Numenius, qvod in Platone carpsit, in se admisit. Sic namqve de eo Origenes l. IV. (pag. 198.) *contr. Cels.* Ἐγὼ δὲ οἶδα καὶ Νουμήνιον τὸν Πυθαγόρειον ἄνδρα πολλῷ κρεῖττον διηγησάμενον Πλάτωνος καὶ τῶν Πυθαγορείων δογμάτων πολλαχοῦ τῶν συγγραμμάτων αὐτοῦ ἐκτιθέμενον τὰ Μωϋσέως καὶ τῶν Προφητῶν, &c. *Eqvidem scio Numenium Pythagoreum, qvi plerisqve de rebus meliùs qvàm Plato disseruit, & Pythagoricis dogmatibus primatum tribuit, multa suis commentariis inserere deprompta è Mosis & Prophetarum libris tractata per verisimilem Tropologiam.* Id autem mireris in Aristotele, qvod senex admodum ad Simeonis justi pedes sederit, si qva Judæis fides habenda, qva de re consuli potest Buxtorfius *ad Sepher Cosri* pag. 31. Clearchus certè inter discipulos ejus haud postremus ipsum à Judæo philosopho multa percepisse prodidit librô de somno, qvem Eusebius laudat l. IX. c. III. *de præp.*

VI. Minus autem hac de re dubitandum foret, si qva olim extitisset Græca sacrarum scripturarum versio ante LXX

vira-

viralem, qvæ Gentilium oculis exposita fuerit, ut Patres olim censuêre Clemens, Eusebius & vetustissimi alii. Cùm autem ipsimet Gentiles libros Judæorum sacros arcanos vocent, & verò parcere potuisset Ptolomæus tot impensis in translationem sumptibus, si qva prior extitisset versio; meritò accedimus illorum sententiæ, qvi ea, qvæ à Gentilibus de Origine Mundi aliisqve rebus è Codice sacro laudantur, ex commercio cum Judæis habito innotuisse existimant, de qvò videri potest Waltonus (*proleg. XI §. 6. in Bibl. Polygl.*) Qvanqvam nec illud facilè negaverim, & Cyri & Alexandri ævô, qvorum victoriæ tot retro annis à sanctis DEI viris prædictæ erant, qvosdam de sacris libris transcriptos & Græcè forsan editos, id enim cum summo totius populi emolumento conjunctum tunc fuit. Qvidqvid autem ejus sit; simulac Ptolomæô annitente thesaurus hic sacer evulgatus fuit, Philastriô teste (*heres.* CXXXVII.) *posita in templo versio fuit, ut venientibus de Achaja, de Grecia, atqve aliis provinciis Philosophis, Poëtis, & Historiographis cupientibus legendi copia non negaretur. Unde & maximè argumenta sumen-*

sumentes Philosophi, Poëtæ, Oratores atqve Historiographi, sicuti voluerunt, ad sua paganitatis mendacia transtulerunt. Atqve id vitæ discrimine olim luerant Græculi qvidam illotis manibus sacras scripturas tractantes; qvare his verbis & Regi & sibi gratulatur Demetrius Phalereus apud Aristeum *in fine l. de LXX Inter. Theopompus*, ait, *qvoniam ex lege secretiora qvædam in historia audacius transferre conaretur, supra triginta dies mentis turbatione correptus est. Qvi cùm per morbi intervalla DEUM implorâsset: ei manifestò per insomnium demonstratum est, eâ gratiâ id sibi contigisse, qvòd divina pervertens in vulgus projicere tentâsset, qvibus visis emendatus & menti redditus est. Et qvidem & ipse comperi apud Theodecten Tragœdiarum scriptorem, se luminibus captum, dum qvædam ex hujusmodi libris in Poëma suum transferre vellet*, qvæ ipsa & Josephus confirmat.

VII. Patet itaqve via, qvâ penetrare Gentiles potuêre in aliqva divinarum scripturarum arcana; nunc porro ostendendum, qvàm cupidè illud fecerint, ut in ruborem dentur seculi nostri scioli, qvibus Divina oracula de creatione

mundi, peccatô primorum Parentum, λόγοι tantùm ſunt, & mythici ſeculi ludicra qvædam ἀποσπασμάτια. Qvod ſi itaqve ex omni ſeculorum antiqvorum memoria veræ eruditionis & ſapientiæ amatores conſulimus, in ſingulis fermè qvædam ex ſalutari Bibliorum fonte hauſta reperimus. Ut Zoroaſtrina & Orphaica miſſa faciam; de Homero res aperta eſt, qvi ſacræ ſcripturæ ſententias non paucas florum inſtar ſuis interſperſit carminibus, id qvod ſtudioſè nimis oſtendit Duportius in *Gnomologia Homeri.* Heſiodica Phœnicum traditionibus reſpondere, & cœleſtis veritatis qvaſdam de ſe ſpargere umbras nemo mirabitur, qviſqvis Aſcram Cadmi & Cadmoneorum in Bœotia (de qvibus ſuprà) coloniam Hebræô etiam nomine (אשרה i. e. lucum) dictam perpenderit. Illos autem, qvi Heſiodi ſecula proximè attigêre Hiſtorici, ſacris literis conſentanea tradiſſe Joſephus oſtendit *in antiqvitatibus Judaicis libriſqve adverſus Appionem conſcriptis.* Joſephi veſtigia legunt ſancti Patres, inter qvos Clemens: Κλέπται καὶ λῃσταὶ οἱ παρ' Ἕλλησι φιλόσοφοι, καὶ πρὸ τῆς τοῦ Κυρίου παρουσίας παρὰ τῶν Ἑβραϊκῶν Προφητῶν

μέρη

μέρη τῆς ἀληθείας οὐ κατ' ἐπίγνωσιν λαβόντες ἀλλ' ὡς ἴδια σφετερισάμενοι δόγματα καὶ τὰ μὲν παραχαράξαντες, τὰ δὲ, ὑπὸ περιεργίας ἀμαθῶς σοφισάμενοι, τὰ δὲ καὶ ἐξευρόντες. *Latrones & Fures fuerint, qvi sunt apud Græcos Philosophi, qvi ante Domini adventum à Prophetis Hebræis partes veritatis id minimè agnoscentes sumpserunt, sed sibi tanqvam propria dogmata attribuerunt, alia autem supervacaneâ qvâdam diligentiâ Sophistice interpretati sunt; alia autem etiam invenerunt.* Idem l. II. *Stromat.* id sibi argumentum sumit. οὐ γὰρ μόνον τὰ παράδοξα τῶν παρ' ἡμῖν ἱστορουμένων ἀπομιμουμένους ἀναγράφειν (τοὺς Ἕλληνας κλέπτας) παραστήσομεν. Πρὸς δὲ τὰ κυριώτατα τῶν δογμάτων σκευωρουμένους καὶ παραχαράσσοντας πρεσβυτέρων τῶν παρ' ἡμῖν γραφῶν ὡς ἀποδείξαμεν διελέγξομεν &c. *Non solùm ex iis, qvæ à nobis narrantur, ea qvæ sunt admirabilia & præter fidem imitantes (Græcos fures) scripsisse ostendemus, sed etiam principalia dogmata surripientes eaqve adulterantes, cùm nostræ sint, ut demonstravimus, scripturæ antiqviores, convincemus nempe, &c.* Paulò post ait *veritatem in Græcorum scriptis venandam non aliter ac sub larva verum vultum.* In fine autem libri qvinti pro-

ti probat idipſum pluribus ſententiis Græcorum, qvas cum ſacris contendit. Tertullianus non veretur hoc in argumentum vertere ſummæ auctoritatis ſcripturarum. Ita ille *in Apolog.* XLVII. *Mihi proficit antiqvitas præſtructa divinæ literaturæ, qvô facilè credatur theſaurum eam fuiſſe poſteriori cuiqve Sapientiæ.* <u>*Qvis*</u> *Poëtarum, qvis Sophiſtarum, qvi non de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur & Philoſophi ſitim ingenii ſui rigaverunt.* Elegantiſſimè autem Minutius in Octavio. *Philoſophi de divinis prædictionibus umbram interpolatæ veritatis imitati ſunt.* Nec aliter fermè Lactantius *l.* I. *de Falſ. Relig. c.* XXIX. *Mendacium Poëtarum non eſt in facto, ſed in nomine:* & Theodoretus l. II. *Therap. Moſes eſt Oceanus Theologiæ, à qvo fluvii omnes & maria derivantur. Illinc enim & Anaxagoras, & Pythagoras, & Plato poſt eos, parva qvædam veritatis lumina, qvædamqve initia deſumpſerunt.* Qvibus addi poſſunt, qvæ Juſtinus habet in *Parænet.* Tatianus *Orat. contr. Græc.* Euſebius l. IX. *præp. Evang.* Auguſtinus l. VIII. C. D. c. XI. Seqvioribus ſeculis idem argumentum tractarunt, ſed longè infeliciùs; qvippe

jam

jam defecerat solidior eruditio, Theodulus qvidam in Cœlesyria Episcopus (vixit Annô Christi 580.) *eclogâ* in qva Pseustin Alethiam & Phronesin fabulas Poëticas ad veritatis cœlestis normam expendentes facit; de qvo videri poterit Gennadius *l. de script. eccles.* Post illum Thomas de Walleis ineptè satis, ut ex tituli fronte patet, *Concordias inter sacram scripturam & fabulas Poëticas pia moralisatione* instituit & publicè edidit: alius etiam, cui Farinatoris nomen, furfures divinis immiscuit oraculis librô *ad deonerandas Conscientias* editô, qvem etiam *Lumen animæ* inscripsit; totus namqve in eo est, ut Platonis, Aristotelis & Galeni sententias cum divina veritate comparet. Postqvam autem disjectis barbariei tenebris politior literatura nativum jubar diffundere rursus occiperet, qvi Platoni plurimum tribuebant, Itali tunc temporis philosophi, Bessarion, Picus Mirandulanus, Marsilius Ficinus, Mutius Pansa & alii complures Sacræ Scripturæ non pauca dogmata in Philosophorum scriptis ostendere anhisi sunt. Plus autem reliqvis omnibus Augustinus Steuchus Eugubinus editis X

de Perenni Philosophiâ libris præstitit, à qvorum lectione Petrus Rufus insigniter doctus at pervicax atheus ad meliorem frugem rediit, ita qvidem, ut Scaligerô teste (*epistolâ ad Dousam de Gentis Scalig. Vetustate*) *nemo illô acriùs aut veram pietatem postea defenderet, aut atheismum fortiùs oppugnaret.* Post Steuchum Mornæus *librò de Veritate Religionis Christianæ* (c. XXVI.) hunc Gentilium cum sacris consensum attigit; latiùs eundem Grotius postea persecutus est ejusdem argumenti scriptô & præcipuè in notis ad illud. Nec suâ hîc laude defraudandus Samuel Bochartus, qvi in *Phaleg* suo Noachidarum historiam & primas migrationes familiarum sub Ducibus suis, illis, qvibus à Mose notantur, nominibus in vetustissimorum Geographorum gentilium scriptis tam luculenter ostendit, ut qvi veritatem Mosaicæ historiæ eâ parte negare velit, huic jures nec oculos nec animum esse. Qvod si & tenuis nostra hîc allegari opella mereatur, affirmare certè ausim, ne unicam qvidem alicujus momenti historiam, sunt autem omnes permagni, in sacris scripturis occurrere, cujus transcriptum

exem-

exemplum in profanis Gentilium scriptis non deprehenderim. Sunt autem, qvod dolendum, hæ ipsæ divinæ veritatis stricturæ tam densis superstitionum tenebris obductæ, ut earum notitia ad nihil aliud Gentilibus profuisse videatur, qvàm ut exinde convincerentur, nec domi apud ipsos natam nec educatam esse veritatem. Verè enim Cyrillus (l. 1. *adv. Julian.* pag. 14.) Ἐντεῦθεν εἴποιμι καταθῤῥήσας τε ῥᾷον καὶ ἀληθὲς εἰπεῖν, ὅτι τῶν Μωσέως δογμάτων οὐκ ἀμοιρήσαντες παντελῶς, οὔτε μὴν ἀνήκοοι γεγονότες τῆς ἐννοίσης αὐτοῦ θεοσδότου καὶ ἀκιβδήλου σοφίας, παρατεύζουσιν ἐφ᾽ ὅτε τὸ ἀληθὲς ἐπιπλέκοντες αὐτοῦ τὸ ψεῦδος καὶ οἱ τῷ εὐοσμοτάτῳ μύρῳ βόρβορον ἀναφύροντες. *Hinc intueri ac pro certo asseverare licet, Gentiles non prorsus Mosis dogmatum insitæqve illi à DEO Sapientiæ expertes aut ignaros fuisse; Attamen balbutire nonnunqvam, verùm falso admiscere, ac veluti fragrantissimum unguentum cœnô macerare.* Disertiùs hanc in rem Tertullianus (Apolog. c. XLVII.) *Homines gloriæ & eloqventiæ solius libidinosi, si qvid in sanctis offenderunt digestis, exinde regestum pro instituto curiositatis ad propria verterunt, neqve satis credentes*

divina esse, quò minus interpolarent, neque satis intelligentes, ut adhuc tunc subnubila, etiam ipsis Judæis obumbrata, quorum propria videbantur. Nam & si qua simplicitas erat veritatis, eò magis scrupulositas humana fidem aspernata nutabat, per quod in incertum miscuerunt, etiam quod invenerant certum. Et post aliqua. *Omnia adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem istam spiritibus erroris. Ab iis adulteria hujusmodi salutaris disciplinæ subornata; ab his quædam etiam fabulæ immissa, quæ de similitudine fidem infirmarent veritatis, vel eam sibi potius evincerent, &c. Unde autem hæc (de Judicio vivorum & mortuorum divino) oro vos, Philosophis & Poëtis tam consimilia? nonnisi de nostris Sacramentis. Si de nostris Sacramentis, ut de prioribus. Ergo fideliora sunt nostra magisque credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt.* conf. Justin. *paræn.* xxv. Quin & ipse Cornutus gentilis suos hîc accusat apud Steuchium l. III. c. XI.

VIII. Huc itaque aures animumque advertite Athei, & publicô omnium Philosophorum exemplô sapite tandem, qui

privatim difcere refugitis. Ipfi fe nihil de antiqvis rebus fcire judicabant Veteres fi abfqve facrarum literarum cognitione effet; videbantur fua ipfis de fapientia fcita informe qvoddam & tenebrofum Chaos, nifi infufis qvibufdam divinæ veritatis fcintillis qvafi animarentur. Confcientia illis exprobrabat fua, omnia illa qvæ excogitarent fubtilia, nova; qvæ eôdem modô invenirentur ab aliis, incerta pariter effe; qvare cùm vel per rimam tantùm in divinas fcripturas fibi introfpicere liceret, non aliter ac de invento Ofiride Ægyptii lætabantur; Cùmqve eminus cœleftis illis veritas aut in convictu cum Judæis aut ex traditione oftenderetur, certatim in ejus laudes effundebantur. Ne gratis hæc dixiffe videamur, ipfa teftimonia fubjicimus. Dionyfius Longinus librô περὶ ὕψους. Sect. VIII.
Ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων· (Εἶπεν ὁ Θεὸς, φησὶ, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο. γενέσθω γῆ. καὶ ἐγένετο.) *Qvi Judæis leges condidit, vir minimè vulgaris ingenii, ut qvi Dei poteftatem dignè & conceperit & elocutus fuerit, ftatim in princi-*

pio legum hæc scribens: Dixit, ait, Deus: Qvid? Fiat Lux, & facta est. Fiat terra, & facta est. Tam benè de Judæis senserunt multis ante Dionysium seculis Ægyptii; hæc enim coram Rege eorum Eleazarus apud Aristæum: (refert eadem & Eusebius l. VIII. c. III. præp. Evang.) *A nonnullis Ægyptiorum Sacerdotibus, qvi disciplinam nostram altius consideràrunt, DEI homines gens nostra appellatur, qvod nemini, nisi qvi DEUM verum colat, accidere potest. Nec id injuria, reliqvis enim cibo, potui, vestituiqve inhiantibus, nostri omnibus iis contemptis, per totam vitam de omnipotentia DEI cogitant &c.* Fabulosa hæc forsan viderentur, nisi totidem verbis eadem fermè apud Strabonem extarent elogia. Ita is librô XVIII, ubi Mosen ante dixerat unius Dei cultum contra Ægyptiorum idolomaniam asseruisse, ac viros bonos id persuasos fuisse τιμῶντας τὸ θεῖον καὶ εὐγνώμονας i. e. *Dei reverentes & bonæ mentis amatores*: instituisse præterea cum sacra nec impensis gravia, nec limphaticô furore odiosa. Οἱ δὲ διαδεξάμενοι χρόνους τινὰς ἐν τοῖς αὐτοῖς διέμενον δικαιοπραγοῦντες καὶ εὐσεβεῖς ὡς ἀληθῶς, ὄντες, *successores*

verò

verò ad aliqvod tempus in iisdem institutis mansere justi vereqve religiosi. Theophrastus apud Porphyrium (l. de abstin. ab animal.) *Judæi naturâ Philosophi sunt, de Deo inter se colloqventes, noctu autem stellas aspicientes, orationibus Deum invocant. Primi enim isti omnium hominum & bruta & seipsos offerre cœperunt, necessitate non cupiditate id facientes.* Eadem pluribus ibidem confirmat Porphyrius, maximis laudibus Essæos efferens, qvi inter Judæos philosophabantur. Loca ejus fideliter annotavit Eusebius l. IX. c. I. Idem Testimonium ex Trogo Justinus de Judæis perhibet. *Regum,* inqvit, *& Sacerdotum justitia & religione permixta incredibile qvantum coaluerunt Judæi.* Plato Mosen sæpius legislatorem κατ' ἐξοχὴν vocat, ad ejus tabulas provocans; ex qvibus & Gentiles celebres illas Διὸς πλάκας effinxêre. Plutarchus, ubi de abstinentia ab esu porci *Symposiô in lib.* IV. *probl.* 5. agit, miratur primùm legum Judaicarum rationes, mox seipsum veluti corrigens, nisi, inqvit, mysteria reconditæ cujusdam sapientiæ hæc ipsa continent. Numenius *l.* III. *de Bono (locus citatur ab Eu-*

sebio

ſebio l. IX. *c.* III. *præp.)* ubi Moſis, qvem Μουσαῖον vocat, contentiones cum Janne & Iambre Magis Ægyptiacis recenſet, vocat ipſum ἄνδρα γενόμενον Θεῷ εὔξασθαι δυνατώτατον, *virum precibus apud DEUM potentiſſimum.* Qvid qvòd atrox ille Chriſtianorum calumniator Porphyrius Moſen ſæpiùs Prophetæ encomiô cohoneſtare ſtudet; Is autem qvi Chriſto bellum indixerat Julianus Apoſtata, Judaicas hiſtorias negare vix auſus eſt, & collationem ſaltem earum cum Platonicis ſcriptis inſtituit, qvô hæc illis elegantiæ obtentu opponere poſſet.

IX. Erubeſcite nunc tandem Athei, & qvotqvot cerbereô dente ſacras arrodere ſcripturas minimè veremini, poſtqvam vos etiam à Gentilibus relictos videtis. Diſcite, ſi capaces adhuc diſciplinæ eſtis, canam venerari veritatem, cui aſſurrexêre præſtantiſſimi qviqve philoſophi. Inſcitia eſt, id rationibus negare velle, qvod ipſa facti veritas non affirmat, ſed oſtendit. Factus autem mundus eſt. Cernite. Legite. Stupor eſt, ſemetipſum nolle agnoſcere. Homines eſtis; ergo nati ab alio. Nectite ergo Patres Patribus, ad primum tandem deveniendum

erit.

erit. Is autem non à se est, alias DEUS esset, sed ab alio; nempe à DEO, eum itaqve productum esse necesse est. Vesania est, illud inficiari, qvod ipse antea senseras, & omnes contra te boni affirmant. Ebriorum mores illi sunt, ut postqvam vinô sese ingurgitârunt, ignorent sæpiùs se cellam ingressos vinariam, & sub hedera sedere, putentqve se domi suæ suetô recubare lectulô. Nonne & sic vos, O Athei, fortuna largiùs potavit, nonne fastus inde dementavit cerebrum; ut cùm mundum velut diversorium ingressi sitis, hospitem i. e. Deum agnoscere nolitis, qvi struxit has ædes, & vos tam largiter excepit, cùm servos & famulos interea haberet duriùs? Sed jam vos gravat ebrietas; gestire incipitis imò nonnunqvam & tumultuari. Adstat Amicus atqve is sobrius —— *secretam gannit in aurem*; Alienas has ædes esse; Domini earum ac hospitis habendam esse rationem. Vos contra stomachamini, nec patimini diversum vobis persuaderi. At qvantô pudore suffundemini, cùm vel primis surgentibus tenebris fatalis obitûs, vel ad æternæ vitæ diluculum istam exhalaveritis crapulam. Nunc autem vos in-

invehi acriùs, altiusqve efferri video, qvando vos ebrios, vos insanos, vos stupidos ac nihil intelligentes inclamo; Crepatis namqve vires vestras, ostentatis opes, facundâ minamini linguâ, qvo alios in stupore inopes, in inopia miseros demonstretis. At audio æs tinniens, sed alienô digitô, video ambulantem statuam, sed νευρόσπαστον. Judicate itaqve, utrum ratione utatur —— *nervis alienis mobile lignum*, qvod artificem i. e. DEUM non agnoscit, qvales vos estis, an verò nos, qvi artificem in nobis pariter ac vobis agnoscimus, etsi paria vobiscum facere non possimus. Qvod si sapientiæ gloriam vobis adimi haud sinitis, agite, ad judices. Qvin nec vosmet ipsos detrecto Judices; Etenim non argumentis, sed exemplis vobiscum agam, ut & rudiores intelligant. Inventa non ita pridem insula est, qvam *Pines* vocant, atqve ut de ea historia nautica publicis expressa literis tradit, incoli à naufragis cœpta est, qvorum unus mas & tres fœminæ connubiô juncti fœcundam sobolem edidêre, insulamqve colonis ita opplevêre. Minùs credo de veritate historiæ dubitatis, qvanqvam fermè liceat, tam rarô in-

incertôqve teste. Constat namqve sibi familiarum & annorum successio; lingva de progenitore testatur, nec dubiam monimenta ejus, siqvæ sunt, fidem faciunt. Qvare ergo sacris literis fidem derogatis, & mundi Creationem negatis, cùm constet sibi succèssio seculorum & rerum gestarum series, idqve non unô sed pluribus interpretibus, inter qvos de fraude convenire haud poterat. Adamus liberis & hi posteris tradidêre, qvomodo à DEO producti genarchæ pedem primum posuerint in mundo, & lapsi sint; qvomodo item solatiô divinô post rursus erecti, atqve ad veram religionem divini hujus verbi præconiô excitati sint. Noscitur qvin etiam primæva lingva, nec latent nominum origines. Habemus præterea monimenta, qveîs nulla dantur antiqviora. Et qvod maximum est, impleta illa sunt, qvorum spes facta non diu post primi hominis creationem. Natus est Salvator Optimus Maximus. Qvid ergo est, qvod dubitemus de mundi initiis, qvodqve in alterius vitæ spe fluctuemus? Non solus inqvam Moses hæc testatur; tot sancti eadem confirmant, nec dissentiunt ἀρχαῖοι λόγοι, nec

Gen-

Gentiles audent refragari; sed certatim ea nec sine applausu comprobant & contestantur. Vos autem Athei alias demonstrationes hîc poscitis, idqve locô alienô. Audite Aristotelem. Eth. VI. 12. Ὥς ἔδει προσέχειν τῶν ἐμπείρων καὶ πρεσβυτέρων ἢ φρονίμων τοῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι καὶ δόξαις, οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων. Διὰ γὰρ τὸ ἔχειν ἐκ ἐμπειρίας ὄμμα ὁρῶσιν ἀρχάς. *Qvocirca attendendum est eorum qvi experti sunt, qvi seniores sunt & prudentes, sermonibus & sententiis indemonstrabilibus non minus qvàm ipsis demonstrationibus. Vident enim principia, qvoniam acumen habent experientiæ.* Nunc autem ad rem ipsam accedemus.

CAPUT II.

Expenduntur Gentilium sententiæ de Creatione ad verba historiæ Mosaicæ. I. בראשית. In Sapientia *versum. Minerva* ἐργάνη ἐργοπόνος. *Pale.* Νοῦς δημιουργός. *Initium temporis Tanfana. Tempus conditi mundi.* II. *Consensus universalis Gentium in Creatione. Plato, Aristoteles vindicantur. Confutatur æternitas mundi.* Θεογονία *Hesiodi.* III. *Qvid per Cœlum &*

Terram intelligatur. Semina rerum omnium simul. Duo principia, Activum & Passivum. Sinensium duo Kis. Ἴυγξ. *Angelos una cum universo creatos asserunt Gentiles.* IV. *A terra initium Creationis.* V. *Qvid sit* תהו ובהו. *Chaos. Baau.* Ὕλη. VI. *Qvid per tenebras intellexerint Gentiles. Nox Erebus. Privatio.* VII. תהום *Abyssus, Styx, Tartarus, Ymer.* VIII. רוח אלהים. *Kolpiah Phœnicum. Spiritus, Anima mundi. Amor vivificans, Increatus, Primus DEUS.* IX. *Vox* מרחפת *qvid innuat Amor incubans Columba. Mundus ovum.* X. *Materia prima in Aqvam deducta. Mot. Phœnicum.* Ἰλὺς *Limus.*

בראשית IN PRINCIPIO.

Sic Moses orditur Historiam creationis. Varias hujus initii interpretationes occurrere nemini ignotum esse potest. Nos illas subobscurè ab ethnicis expressas pro instituti nostri ratione ostendemus. Targumista Hierosolymitanus vertit בחכמה i. e. *in Sapientia creavit DEUS cœlum & terram*, qvem & Patres nonnulli seqvuntur *Methodius l. 1. Hexa. c. 1. apud Photium, Acacius in catena.* Intelligunt autem per Sapientiam Filium, de qvo vide *Qvæstiones Hebraicas* inter Hie-

ronymi opera, itemqve Basilium *Hom.* I. *in Gen.* & *Orig. h.* I. præsertim cùm *in Sapientia terra fundata* dicatur *Proverb.* III. 19. Qvid hîc Gentiles? Et hi Sapientiam omnibus rebus prima initia præbuisse consentiunt. Tribus autem potissimum nominibus increatam hanc efferunt Sapientiam, eamqve Minervam, Palen & Νοῦν seu Mentem vocant. Minervam autem & Ἐργάνην & Ἐργοπόνον cognominant, qvod Ovidius reddit Fast. l. III. *Deam Mille operum:* Estqve illa cujus sacris acclamant Ægyptii. Πρώτη ἀρχή. Σκότος ὑπὲρ πᾶσαν νόησιν, σκότος ἄγνωστον. *Primum Principium. Tenebræ super omnem intellectum. Tenebræ imperceptibiles.* Ut est apud Athenæum. Nec desunt qvi de Germanicis antiqvitatibus agentes ex verbis hisce, *In Initio;* Germanicè redditis *Tanfana* Deæ Germanorum; cujus Tacitus meminit *annal.* I. L I. 2. cultum derivant, verùm alienâ ratione. Eadem autem Sapientia Pale interdum aliô cognomine vocata, de qvo Peucerus *l. de div. p.* 77. sæpiùs autem Νοῦς δημιουργὸς, *Mens opifex*, de qvo infrà pluribus. Interpretes alii per בראשית ἀρχὴν seu principium initium temporis intel-

lexêre.

lexêre. Sic Basilius *or.* 1. *in Hex.* explicat. *In Principio temporis fecit DEUS cœlum & terram.* Picherellus citante Gatakerô *in Cinno* pag. 137. noviter ita exposuit. *Qvô extiterunt initiô Cœlum & terra, eô DEUS illa creavit.* Sic & Plato, ut est apud Simplicium l. VIII. *in Phys. Arist.* καὶ τὸν Πλάτωνά φησιν ἀπ' ἀρχῆς χρόνου τὸν κόσμον ὑφιστάναι &c. *Etiam Platonem dicunt fateri ab INITIO TEMPORIS creatum mundum.* v. Plat. Ti. 529. Plotinus *in lib. de ævo & æternitate.* Χρόνος γὰρ οὔπω ἦν ἢ ἐκείνοις οὐκ ἦν. *Tempus tunc non erat, aut illis non erat,* &c. *Erat autem in Ente anteqvam hoc gigneret . . . Mota ubi natura est motum est & ipsum* &c. De Judæorum Cabala dicere hîc possem (ex Ludov. de Dieu *not. post.*) qvi ex vocabulo Hebraico בראשית diem & mensem conditi mundi definire volunt, per Geometriam sc. ita בראש השנה נברא *in capite anni* i. e. *Mense Tisri*, deinde per Temuram, א בתשרי i. e. *Imo Tisri die* creavit DEUS &c. cumqve his & Gentilium sententias conferre, si qvid certi hac in parte foret.

ברא אלהים CREAVIT DEUS.]

i. e. ex nihilo fecit Cœlum & Terram; id enim propriè dicta creatio est. Consensêre hîc cultissimæ gentes & præcipui qviqve philosophi. De Ægyptiis, Chaldæis, Phœnicibus, Celtis, Græcis, Romanis res certa est, patetqve hæc eorum sententia ex testimoniis ad singulos versus à nobis allegatis; de Barbaris idem ostendendum est. Sic autem Edda seu Traditio Septentrionalium *myth.* III. *Antiqvissimus omnium Deorum Alfader* (i. e. omnium Pater) *appellatur. Hic DEUS per secula vivit, & regnum suum gubernat omnia regens, magna & minima, summa & ima. Is cœlum, terram & aërem condidit omnemqve eorum possessionem, & qvod maximum est, hominem fecit, cui animam tribuit semper victuram, nunqvam interituram, etsi corpus putrescens in pulverem terræ, aut per ignem in cinerem redigatur, viventqve omnes homines benè morati, & erunt cum ipso in loco qvi Gimle sive Wingulf dicitur, sed mali ad Helam (Deam inferni) abibunt, & inde in Niffheimum (i. e. mundum nonum.) Sed priusqvam cœlum & terra extarent, hic DEUS erat cum Hrymthussis (pruina gigantibus.)* De Indis eadem testatur Rogerius,

gerius, ubi de Pandectis sapientiæ ipsorum seu Vedam agit, pag. 56. *Prima*, inqvit, *pars Vedam agit de prima causa, & de materia prima, de Angelis, de Animabus; de præmiis bonorum & malorum pœnis, de Genesi creaturarum deqve interitu earum, de peccato & qvomodo & à qvo & cur remittatur.* Vide eundem *in mythol. Braminica* p. 2. c. 1. & seq. De Caribis inter Americanos Scriptor Gallicus *dans l'Histoire Naturelle & Morale des Iles Antilles de l'Ameriqve* l. II. c. XIII. *Deest illis peculiare vocabulum, qvô DEUM lingvâ suâ compellent, qvare ita effertur. Is qvi mundum condidit, qvi omnia fecit, qvi creaturis vitam & alimenta præbet.* De Peruanis pariter Alexander Rossæus pag. 157. prodit, qvòd aliqvam, etsi obscuram, de Creatione mundi, & diluvio cognitionem ex traditione habeant. Et qvis recensere omnia istiusmodi exempla posset? Sed habent, qvod hîc opponunt Athei cæteriqve pseudo-philosophi. Primùm enim plurimas gentes dictitant contrarium statuere, dein ipsos philosophorum Principes adversantes nobis faciunt. Qvod ad Gentes attinet, non diffiteor

multas earum incurioſas eorum eſſe; qvæ ad animum ſpectant, nec multum abſimiles beſtiis, qvas ad paſtum natura abjecit, atqve idcirco & creationis memoriam apud illas exoleviſſe; qvare tales cum pueris pari cenſu habemus. Qvid qvod nautæ plerumqve horum teſtes ſunt, qvorum alii alia de eodem ſæpiùs populo, qvod ad dogma de novitate mundi attinet, prodere cernuntur, unde non parum fides eorum fit ſuſpecta. Sed Philoſophorum nominibus adhuc ſeſe tuentur. Hos ajunt materiam DEO facere coæternam atqve hunc mundum illi coævum. Et fateor de materia mundi ante mundum, qvæ ab æterno cum DEO fuerit, multa inveniri apud Platonicos atqve illis etiam vetuſtiores, unde & Proclus æternitatem mundi ex Platone oſtendere anniſus eſt, & ex Ariſtotele idem argumentum probare allaboravit Simplicius, ut nihil dicam de Epicuro & vetuſtioribus, qvorum placita Plutarchus l. 1. *de placitis Philoſophorum* recenſet; Philoſophis item Arabibus, qvos מדברים ſeu Loqventes dixêre, de qvibus multa Maimonides *in Moreh nevech*. At verò materiam

ipſam à DEO conditam Veteres aut aſſeruêre, ut modò probabimus, aut per materiam intellexêre potentiam creandi mundum, qvæ ab æterno in Deo fuerit: qvam in rem multa Cuſanus habet l. I. *de docta ignorant.* c. VII. Qvî ergo vetuſtiores, & præſertim Plato tanti erroris reus agi poſſit, qvippe qvi in Timæo tam multus eſt in ediſſerenda Creatione, ut Julianus Apoſtata illum Moſe diſertiùs originem mundi tradidiſſe ſcriptô affirmaverit, qvod Cyrillus refutavit in anti Julianeis, & videri poteſt Plutarchus l. de procreat. animæ ex Timæo. Ariſtoteles DEUM cauſam omnium rerum non unô locô agnoſcit, qvare cùm mundum vocat ingenerabilem & incorruptibilem, id intelligit ſecundum motum phyſicum & oppoſitam illi qvietem. Hinc & Macrobius in ſomn. Scipion. l. II. c. X. *Mundum qvidem fuiſſe ſemper Philoſophia auctor eſt, ſed non ex tempore, at conditore DEO*, (i. e. ſemper poſſibilis) *cùm nihil aliud tempora niſi curſus ſolis efficiat.* Non ſine cauſa itaqve Ariſtotelem eâ nominis infamiâ liberavit olim Philoponus, pòſt Steuchus, aliiqve, noviſſimè autem Zeiſoldus in

ejus scriptis versatissimus l. *de consensu Aristot. cum scriptura disp.* VII. c. II. De reliqvis, qvorum nomina objiciuntur, haud multum solliciti cum Augustino hic respondemus. *Sit ea paucorum insania.* Qvod si qvis contra æternitatem mundi ratiocinia desideret, huic, aliis missis argumentis, Macrobii locus hîc sufficiat l. II. *in Somn. Scip.* c. x. *Qvis facilè mundum semper fuisse consentiat? Cùm & ipsa historiarum fides multarum rerum cultum emendationemqve vel inventionem ipsam recentem esse fateatur: cùmqve rudes primùm homines & incuriâ silvestri non multum à ferarum asperitate dissimiles meminerit vel fabuletur antiqvitas; tradatqve nec hunc eis, qvô nunc utimur, victum fuisse, sed glande priùs & baccis alios, serò sperâsse de sulcis alimoniam: cùmqve ita exordium rerum & ipsius humanæ nationis opinemur, ut aurea primùm secula fuisse credamus, & inde natura per metalla viliora degenerans ferrô secula postrema fœdaverit. Ac, ne totum videam de fabulis mutuari, qvis non hinc æstimet mundum qvandoqve cœpisse, nec longam retro ejus ætatem: cùm ab hinc ultra duo retro annorum millia de excel-*

excellenti rerum gestarum memoria. ne Græca qvidem extet historia? Nam supra Ninum, à qvo Semiramis secundum qvosdam creditur procreata, nihil præclarum in libros relatum est. si enim ab initio imò ante initium fuit mundus, ut philosophi volunt: cur per innumerabilium seriem seculorum non fuerat cultus, qvô nunc utimur, inventus, non literarum usus, qvô solô memoria fulcitur æternitas? cur deniqve multarum rerum experientia ad aliqvas gentes recenti ætate pervenit? ut ecce: Galli vitem vel cultum oleæ Româ jam adolescente didicêre, aliæ verò gentes adhuc multa nesciunt, qvæ nobis inventa placuerunt. Hæc omnia videntur æternitati rerum repugnare; dum opinari nos faciunt, certô mundi principiô paulatim singula qvæqve cœpisse. Plura de Chronologiæ veritate, qvâ mundi novitas probatur, in Historia Adami dicemus. De Theogoniæ Hesiodicæ titulo ex בּרא אלהים v. I. Capellum *vind. Casaub. pag.* 123.

את השמים ואת הארץ COELUM ET TERRAM.] III.

Hîc iterum variant interpretes. Nonnulli existimant, non peculiare aliqvod opus, sed in genere omnia comprehen-

 di,

di, qvæ seorsim dein exponuntur. Pro hac sententia Petavius aliqvot Patres adducit *de Opif.* l. 1. c. III. Alii illa, qvæ mox seqvuntur de Terra, considerantes, hîc innui ajunt initiô omnia creaturarum semina à DEO creata. Qvid hîc Gentiles? Linus apud Diogenem Laërt. *præf.*

Ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος ἐν ᾧ ἅμα
πάντ' ἐπεφύκει.

Tempus erat, qvô cuncta simul sunt
condita qvondam.

Aristophanes in *Avibus* (apud Lucian. *in Philopat.* & Suid.)

Neqve enim Divum genus ante fuit,
qvam junxit cuncta Cupido,
Simulatqve hæc sunt aliis commista,
æther prodiit & æqvor
Et terra, beatorumqve Deorum genus immortale.

Hesiodus Theog. v. 105.

Κλείετε δ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν
ἐόντων,
Οἳ γῆς ἐξεγένοντο καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος, &c.

De Physiologis hæc Diodorus l. 1. *Sunt inter illos, qvi & genitum hunc mundum & corruptioni obnoxium esse censent; perin-*

de atqve illum; homines qvoqve certô tempore ortum consecutos asseverant. Cùm enim initiô rerum universitas coagmentaretur, Cœlum & Terram naturis horum commixtis unam habuisse formam &c. Videtur huc etiam Timæus Locrus collineare totô librô, qvi inter Platonicos extat. Alii per Cœlum & Terram hîc duo principia prima intelligunt, qvorum alterum, *Cœlum* scilicet sit activum, alterum sive *Terra* passivum; & hi Gentiles habent consentientes. Sinensium namqve Philosophi duo principia à DEO creata asserunt, alterum *Yn* i. e. occultum imperfectum, seu Terram latentem adhuc; alterum *Yang* seu perfectum & patens (id est cœlum,) atqve hæc duo Kis vocant & unô nomine *Ynyang*; (hinc forsan l'ὑγιεs) unde ratione arithmethicâ alias componunt formas, Imagines seu Ideas & Elementa, de qvo videri potest Martinus *Histor. Sin.* l. 1. & Kircherus *in Chin.* p. 38. Consentiunt his Græci Philosophi, qvos inter summô jure Hippocratem referimus l. 1. *de diæta*, estqve ejus de duobus principiis sententia à Tachenio integrô librô non ita pridem illustrata, cui titulus est: *Hippocra-*

tes

tes Chymicus. Sunt etiam hîc qvi *Terram* materiam rerum; *Cœlum* Virtutes immateriales, exercitus cœli seu Angelos interpretantur. In qva sententia est Philo l. IV. *de Opif.* qvem & Origenes seqvitur. Gentiles pariter una cum universo hoc Deos immortales, (qvomodo Angelos suos seu Dæmones vocant,) à summo Deo creatos asserunt, id qvod suprà ex Aristophanis & Hesiodi verbis constat. Extat præterea Apollinis Delphici oraculum apud Porphyrium l. X. *Resp. Phil.* cujus hîc nonnulla latinè repeto. *Ex eadem Mente tua, (qvæ producit hæc omnia formans materiam indeficientem, qvam generatio circumvagatur, qvoniam illam formis obligâsti) fluxerunt genituræ sanctorum Regum, qvi Te circumstant, Pater universalis, & Rex, & Singularis, immortaliumqve beatorum Pater. Qvæ qvidem seorsim sunt ex te nata, nuntiis autem singulæ præfectæ Æternæ Menti referunt Tuæqve Potentiæ. Præterea tertium qvoddam genus Regum creasti, qvi Te semper canunt, carminibusqve laudant, volentera Te, ipsi cupidi prædicant nunc & semper.*

והארץ ET TERRA.] IV.

No-

Notandum hîc est, qvod extat apud Plutarchum *de plac. Phil.* l. II. c. VI. Οἱ φυσικοὶ ἀπὸ τῆς γῆς ἄρξασθαι φασὶ τὴν γένεσιν τοῦ Κόσμου, καθάπερ ἀπὸ κέντρου. ἀρχὴ γὰρ σφαίρας τὸ κέντρον. *Physici* (intelligit Thaletis discipulos) *à terra inchoâsse ajunt mundi ortum, tanqvam è centro. Est enim centrum globi initiô.*

היתה תהו ובהו ERAT INANIS ET VACUA.] V. Voces informitatem denotant, & nescio qvid secum pugnans. Eadem de materia prima pronunciant Philosophi. Vocant eam cum auctore libri Sapientiæ c. XI. 18. *ἄμορφον, imò nec qvid nec qvale nec qvantum.* Ex תהו autem & בהו paulum mutatis literis factum est Phœnicum *Baau* & Græcorum *Chaos*, cujus & LXX meminêre in versione Eccles. XII. v. 7. Ex *Baau*, qvam mulierem nocti similem vocant, & ventô Kolpiah, de qvo infrà, Phœnices dicebant seculum esse genitum. Chaos idem Ὕλην i. e. Materiam denominabant Ægyptii, de qvo vide Merulam *Cosm.* l. I. c. III. De hoc Chao Hesiodus Theog. 116. Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος. *Primum factum est Chaos.* Et Ovidius *initiô Metamorph.*

Ante

Ante mare & tellus, & qvod tegit omnia, cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Qvem dixêre Chaos. rudis indigestaqve moles;
Nec qvidqvàm nisi pondus iners, congestaqve eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum, &c. &c.

Cur autem à Chao creati mundi initium sit, causam reddere conatur Plato in Timæo p. 527. *Hanc* inqvit *gignendi mundi causam præcipuam à prudentibus viris qvis rectissimè accipiet. Deus cùm vellet bona omnia fore, assumsit non tranqvillum & qvietum*, sed κινέμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως *temerè agitatum & fluitans, idqve ex inordinata jactatione redegit in ordinem. Hoc autem judicabat esse præstantius.*

וחשך ET TENEBRÆ.] VI.

Sic & Ovidius postqvam Chaos descripserat, subinfit v. 10.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan.

Hesiodus in Theogon. v. 123.

Ex

Ἐκ Χάεος δ᾽ ἔρεβός τε, μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο.

Ex Chao Erebus & Nigra Nox nata sunt.

Ἔρεβος autem eſt ערב Hebræorum. Hinc (apud Sanchon.) Φοινίκων Θεολογία Χάος θολερὸν Ἐρεβῶδες καὶ ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη Ἢ Πνοὴν ἀέρος ζοφώδους τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν ὑποτίθεται. *Phœnicum Theologia principium hujus universi ponit Chaos turbidum erebodes, seu tenebrosum; & statum aëris tenebrosi.* i. e. impulſum & ſecum in tenebris pugnans. Per haſce tenebras, qvæ cum materia prima fuêre, Philoſophi privationem intelligunt. Hanc in rem Picus Mirandul. in Heptaplo c. 11. *Super Abyſſum inqvit Moſes, ſunt tenebræ. Abyſſum vocat terram, id eſt materiam trinô dimenſu in altiſſimas profunditates extenſam. Super hanc Tenebræ i. e. privatio eſt, principium apud Peripateticos imprimis celebre, cui nulla magis appellatio qvàm tenebrarum congruit.* Illi autem qvi apud Barbaros Magi cognominati ſunt, cùm ſenſibilia intelligibilium hieroglyphica haberent, tenebras haſce ante rerum ordinem ſic velut inhorreſcentes mali originem in materia inter-

interpretati sunt; cumqve acciperent, Deum lucem in tenebris oriri fecisse; *duo inde disqvisitionum capita instituebant, qvorum primum est declaratio causæ mixtionis lucis & tenebrarum, Secundum declaratio liberationis Lucis à Tenebris, & mixtionem Lucis INITIUM vocabant, liberationem EXITUM.* Ita ex Sharestano refert Pocockius *in notis ad Abulfarajum* pag. 147. Plutarchus librô de Isid. & Osirid. eandem Magorum sententiam velut in fabula enarrat; sensisse sc. illos *Areim animum seu malum Dæmonem natum ex caligine, Oromazen autem DEUM bonum natum ex luce purissima, eosdemqve bellum inter se gerere* &c. &c. v. & Diogenem Laërtium *proœm.*

על פני תהום SUPER FACIES ABYSSI.] VII.

תהום ἄβυσσος notat profunditatem ferè immensam. Hinc Sanchoniathon, postqvam Chaoticam massam descripserat. Ταῦτα δὲ εἶναι ἄπειρα καὶ διὰ πολὺν αἰῶνα μὴ ἔχειν πέρας. *Hæc verò infinita fuëre* (sc. abyssus) *multôqve tempore non habuêre terminos.* Abyssum hanc stygem vocant Græci scriptores, & Deos non nisi per stygem jurare produnt. Vocant item

item Tartara. Hinc Hesiodus Theog. v. 119. Τάρταρά τε ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης *Tartaraqve tenebricosa in recessu terræ spatiosæ.* Septentrionales Abyssum hanc *Ymerum* vocant, ut habetur in *Woluspa* seu carminibus Runicæ Sibyllæ.

Mane erat seculorum, cùm Ymerus
habitavit,
Erat nec arena nec mare, nec refrige-
rantes aurulæ
Terra reperta est nusqvam, nec in al-
to cœlum,
Hiatus ingentis erat spatii, & gra-
men nullum ibi.

plura de hoc Ymero & hiatu invenies in *notis Resenii ad Woluspam in Edda.*

ורוח אלהים ET SPIRITUS DOMINI.] VIII. Interpretum sanctorum plurimi de Spiritû S. hoc intelligunt, Prudentius *Apoth.* Basilius *hex.* II. Ambrosius l. I. *in Hex.* VIII. l. & I. *Symb.* c. V. *Cyrillus* l. II. *cont. Jul.* Augustinus *de Gen.* c. IV. Qvid hîc Gentiles sivè ex traditione sive ex inspectione scripturarum? Certè non sine fabula Sanchoniathon memorat, Phœnices ἐκ τοῦ Κολπία ἀνέμου καὶ γυναικὸς αὐτοῦ Βάαυ. Ex *Kolpia vento, & Baau primos*

mortales & seculum genita fuisse. Qvid aliud ventus Kolpia Phœnicum lingvâ nisi קול־פי־יה i. e. *ventus oris DEI?* qvemadmodum & Psaltes ait. XXXIII. 6. *Cœlos firmatos esse Verbô Domini & omnem exercitum eorum* ברוח פיו *Spiritu oris ejus.* Huc trahunt nonnulli Virgilianum illud Æneid. VI. 726.

Spiritus intus alit; totamqve infusa
per artus
Mens agitat molem, & magnô se corpore miscet.
Inde hominum pecudumqve genus,
vitaqve volantum.

Qvapropter & Steuchus concludit, cùm inter prima principia, à qvibus ut efficientibus omnia sunt, ψυχὴ sive anima referatur à Gentilibus, Spiritum sanctum hoc nomine denotari; qvæ num ita se habeant, vidimus alibi. Cyrillus hanc in sententiam Plotini verba isthæc profert. *Anima* sive *Viritus* παντὶ μὲν γὰρ τῷ μεγέθει τούτῳ ὅσον ἐστὶ δέδωκεν ἑαυτὴν &c. &c. *In omnem, qvanta qvanta sit, cœli magnitudinem se dedit: Et omne spatium vel ingens vel exiguum animavit; aliis alia corporibus motione concitatis, qvorum varius esset situs, vel à se invicem aliam habeant dependen-*

dentiam &c: V. hic Lud. de Morainullier d'Orgeville *examen. Philoſoph. Platoni. part.* IV. c. 11. ſ. 1. 2. Videri etiam poſſint Gentiles, cùm Spiritum ſanctum hîc primos in Creatione motus operantem legerent, DEUM Amorem inde colendum ſibi conſtituiſſe. In Orphaicis poſtqvam deſcriptum erat Chaos, prædicari legimus διφυῆ περιώπεα κυδρὸν Ἔρωτα *Geminæ originis* (NB) *Vigilem, venerandum Amorem.* Idem

Καὶ Μῆτις πρῶτος γενέτωρ καὶ Ἔρως πολυτερπής

Prima fuit genitrix Sapientia dulcis Amorqve.

Idem alibi vocat

Πρεσβύτατόν τε καὶ αὐτοτελῆ πολυμῆτιν Ἔρωτα

Ὅς σφι τ' ἔφυκεν ἅπαντα, διέκρινε δ' ἄλλον ἐπ' ἄλλου.

Antiqviſſimum ſemetipſo perfectum, intelligentem Amorem. Qvi eorum, qvæ creata ſunt, aliud ab alio diſcrevit. Sanchoniathon eum ingenitum vocat locô infra cit. Heſiodus in Theogonia 116. *Primum* inqvit, *Chaos fuit ac deinde Tellus, Tartaraqve in receſſu terræ.* Hinc *Amor* ut pulcherrimus, Domitor curarum, omnis ſapientiæ

auctor ab ipso describitur. Pulchrè Amorem depinxit Aristophanes in *Avibus* (apud Lucianum in *Philop.* & Suidam.)

Chaos, inqvit, *& Nox primum erat,*
atqve Erebus nigricans
& Tartarus ingens, &c.
Ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν
Ἔρως ὁ ποθεινὸς
Στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, εἰκὼς
ἀνεμώδεσι δίναις
Οὗτος δὲ Χάει πτερόεντι μιχθεὶς νυχίῳ κατὰ
Τάρταρον εὐρὺν &c.
Ex qvo bonus inde Amor emersit horis circumvolventibus
Radians tergo aureolis pennis, par magni turbinis aura:
Qvi deinde volans mistusqve Chao, stabat qva Tartarus, atro,
Nostrum genus edit, inqve dias producit luminis oras.

Nec tantùm Poëtæ Amorem prædicant ut conditorem mundi, sed & Philosophi miris eum laudibus extollunt. Socrates in *conviv.* apud Platonem miratur, *Qvod nemo hominum adhunc usqve diem* Amorem ausus sit pro dignitate laudare. Hinc subjicitur Μέγας Θεὸς Ἔρως καὶ θαυμαστὸς &c. *Magnus Deus est*

amor & apud Deos hominesqve, tum propter genesin. Cùm enim ex antiqvissimorum Deorum numero sit, honore dignus apparet. Id autem ex eo arguimus, qvod parentes Amoris neqve sunt, nec ab ullo vel Poëta vel aliô qvôvis traduntur &c. Parmenides autem. Ante Deos omnes primum generavit Amorem. *Acusileus qvoqve* &c. *Cùm verò talis sit, maximorum bonorum causa nobis est:* Plutarchus l. *de Isid. & Osirid.* hoc Socratis convivium illustrans, fabulam simul, qvâ Poro seu Paupertati Amor conjugatus fingitur, ita explicat, ut per Porum materiam intelligat, per Orum autem, qvi ex Pori & Amoris conjugio natus esse dicitur, Mundi visibile systema. Magis notabilia sunt illa Procli verba in Plat. Theol. l. VI. c. XIX. p. 398. Ἔρως Δαίμων μέγας ἁπάντων ὑπερηπλωμένος τῶν δαιμόνων ἀποδείκνυται, καὶ Θεὸς ὤν, ἀλλ' οὐκ ἐν τῷ γένει τῶν Δαιμόνων τεταγμένος, οὕτω δὴ καὶ ὁ Ζεὺς, &c. *Amor est magnus Dæmon Deusqve, qvi super omnes Dæmones & Deos est explicatus & qvi suas vires in eos omnes exerit, ac exercet. Et qvemadmodum demonstratur eum esse qvidem Deum, sed non in ipso Dæmonum genere collocatum, sic*

etiam ille Jupiter, qvi magnus Dux celebratur, non ut mundanus DEUS, Deorum mundanorum Dux: sed ut ille, qvi ex ipsis omnibus excessit, & qvi supra mundanum ordinem eminet, & excellit, hanc appellationem est sortitus. Jungitur itaqve cum summo Jove ut paris majestatis Amor. מרחפת INCUBABAT, FEREBATUR, MOVEBATUR.] IX. Vox Emphatica, qvæ incubationem columbæ super ova & pullos denotat, explicantibus ita Ebræis in Chagig. c. II. & ex Christianis Basilio in *hex.* I. Ambrosio in *Hexa.* l. I. c. VIII. Auctore *Trad. Hebr. Genes.* &c. Qvid hîc Gentiles? Aristophanes verbis superius citatis Amorem depinxerat ut columbam pennis auricomis radiantem. Alii Fabulas pro more adspersêre. Hinc Nigidius, cujus fragmenta Janus Rutgersius collegit, *Columbam olim ovo insedisse & Venerem exclusisse* memorat. Vide & Plutarchum *Sympos.* l. II. q. 3. de Gallina & ovo Orphico. Hinc factum, ut mundum ovo planè similem facerent. Ægyptii namqve Deum Kneph sive Amorem ovum vivificantem colebant, de qvo videri potest Kircherus in *prodr. Copt.* & *Oedipo* pluribus locis.

Persa-

Persarum Magi *Deum Bonum condidisse XXIV Deos, & in ovo i. e. mundo conclusisse profitebantur*, teste Plutarcho l. *de Isid. & Osiride.* Brachmanes apud Rogerium *plures esse mundos ovi instar, qvi aqvis supernatent.* p. 1. *Idolol. Ind.* c. V. Hoc ovum, *cum foveretur, Orphici in Cœlum & Terram dissiliisse produnt* apud Athenagoram *legat. pro Christ.* Proclus in Timæum idem ovum hoc esse qvod Τὸ Ὂν Platonis & Plutarchi Εἰ (Es seu est; cui nomen Germanicum ovi respondet.) Inde Philosophi vetustissimi, ut est apud Plutarchum, omnis generationis principium ab ovo, & hodierni solertissimum Harvejum secuti generationem etiam animalium ex ovo esse statuunt.

על פני המים SUPER FACIES AQVÆ.]

In superioribus nulla aqvæ facta fuerat mentio; sed tantùm tenebrarum & abyssi, hîc autem accedente Spiritus Domini motione habemus initiis rerum Aqvam. Qvid hîc Gentilium Philosophi? Ita Sanchoniathon apud Eusebium l. s. c. Ὅτε δὲ, φασὶν ἠράσθη τὸ πνεῦμα τῶν ἰδίων ἀρχῶν καὶ ἐγένετο σύγκρασις, ἡ πλοκὴ ἐκείνη ἐκλήθη πόθος· αὕτη δὲ ἀρχὴ κτίσεως

ἀπάντων. Αὐτὸ δὲ οὐκ ἐγίνωσκε τὴν αὐτοῦ κτίσιν. Καὶ ἐκ τῆς αὐτοῦ συμπλοκῆς τοῦ Πνεύματος ἐγένετο Μώτ. Τοῦτο τινές φασιν Ἰλύν. οἱ δὲ ὑδατώδους μίξεως σῆψιν, καὶ ἐκ ταύτης ἐγένετο πᾶσα σπορὰ κτίσεως καὶ γένεσις ὅλων. Ubi *Spiritus amore principiorum ſuorum tactus eſt, factaqve eſt inde mixtio, huic nexui nomen factum Cupidinis. Tale fuit initium procreationis rerum omnium. At Spiritus ipſe ſe creatum non noſcebat. Ex connexione autem ejus Spiritus prodiit Mot. Hoc limum nonnulli; alii aqvoſæ mixtionis putredinem eſſe volunt. Et hinc factum eſt ſeminium omnis creaturæ & omnium rerum generatio.* Hinc patet unde Mot מוד (qvod Phœnicum lingvâ aliqvid in motu ſignificat, ut & Arabicum מארח & Germanorum Muth cui opponitur id qvod qvietem inducit & מות itidem dicitur) & Ἰλὺς ſive limus (id eſt materia humore jam prægnans) primum dicta ſint. Brachmanes apud Rogerium DEUM formâ puſionis folio inſidentem ſupervectum fuiſſe aqvam, & exinde propullulâſſe omnia, pag. 2. cap. 1. Ennius antiqvô carmine.

Corpore Tartareô prognata Paluda
virago.

De Homero & Thalete Ariſtoteles & Plutarchus l. de Iſid. & Oſir. p. 364. & Veteres ferè omnes teſtantur, qvòd rerum omnium principia Aqvam poſuerint ſecuti παλαιὺς λόγυς. Qvæ hodiernorum philoſophorum huic conformis ferè ſententia de Aqva ſit, ſatis ſuperqvè conſtat. Tantùm de hiſce, ut Gentiles de mundi Creatione cognitionem aliqvam, etſi non ſalvificam, (qvippe tot fabulis obfuſcata fuit,) habuiſſe, & Atheos præterea ἀναπολογήτυς eſſe oſtenderemus.

DEO SOLI GLORIA.

---

* * *

[Græcos fuiſſe Hebræorum diſcipulos, eoſqve è Theologia Hebræorum hauſiſſe, qvidqvid habent Philoſophi aut Poëtæ circa res divinas, multis probant B. Ægid. Hunnius Theologus nec exigui laboris, nec vulgaris induſtriæ in erudito, de majeſtate Scripturæ, tractatu, qvi habetur Tomô 1. Operum p. 39. 40. ſ. Hujus diſcipulus, præceptore non minor, Jo. Schröderus Eccleſiæ

Swinfurtensis initiô Pastor ac Superintendens, posteà Ecclesiæ Norimbergensis ad D. Laurentium Pastor c. 11. Opusculi Theologici, p. m. 185. f. Wolfg. Frantzius in aureo de interpretatione Scripturæ tractatu, p. m. 155. B. Walther in admodùm studiosis Theologiæ utili officina Biblica p. m. 485. f. §. 667. f. Jo. Conr. Dietericus Prolegom. ad Antiqvit. Biblic. p. 22. b. f. Philippus Mornæus, huncqve seqvutus Grotius, in incomparabilibus de veritate religionis Christianæ libris; Jo. Henichius commentar. in Grotii librum. Petr. Molinæus, oratione de laudib. Theologiæ præfixâ Thesauro Dispp. Theologic. Sedanensium p. m. 12. f. Bened. Pererius Jesuita Disp. VI. in Gen. XII. 19. p. 48 t. n. 110. Fortè nonnihil huc conferet tractatus, SIMIA DEI DIABOLUS, qvem Venetiis impressum perhibent.]

F I N I S.

בע״ה

MESSIÆ MORS, SEPULTURA, AC RESURRECTIO,

Ex Jeſaiæ LIII. v. 8. 9. 10.
De volunt. Ampliſſ. Facultat. Theolog.
in Alma Lipſienſi
Ad diſputandum olim propoſita,
Pro conſeqvenda Supremum in Theologia adeundi Gradum

LICENTIA,

Ad diem V. & VI. Novembris,
ANNO CIↃ IↃC XLV.
A

M. MARTINO GEIERO, t. t.
S. Theol. Baccal. Lingv. S. Prof. Publ. & ad S.
Thomæ Eccleſiaſte, nunc verò S. Theol.
Doctore, Sereniſſimo ELECTORI SAXON.
à Concionibus Aulicis Primariis,
Confeſſionibus Sacris, & Conſiliis Eccleſiaſticis.

Denuò recuſa Anno 1679.
Lipſiæ litteris Spörelianis.

בהנוא:

ANTELOQVIUM.

Etiamsi magnum omninò rationi humanæ paratum sit offendiculum, ubi gloriosum illum orbis universi Redemptorem, Messiam, instar nebulonis sceleratissimi tam funestô videt suspensum lignô, inter latrones, ut latronum Regem, medium, vestibus planè spoliatum, sputis atqve sangvine immaniter defœdatum, imò miserabili tandem cum gemitu, citra ullum auxilium impetratum, animam efflantem, ut proinde non sine causa Paulus (a) fateatur se Christum prædicare crucifixum, Judæis qvidem σκάνδαλον, gentibus verò μωρίαν. Attamen si obseqvens verbi discipulus, rationis oculis paulisper

(a) 1. Cor. 1. 18. & 23.

lisper clausis, devotè sibi proponat venenatum illum serpentis antiqvi morsum, Semini huic Benedicto jam tum in Paradiso (b) præmonstratum, ubi heroi huic, serpentis caput conqvassaturo, reciproca calcanei indicitur contritio, qvam, ut conjectu erit facile, securus erat in terram prolapsus; si insuper protevangelio illi luculentum Jesaiæ (c) adjungat commentarium; facile eqvidem, auxiliante Dei Spiritu, scandalum illud superabit omne, imò hunc ipsum τοῦ ϛαυροῦ λόγον experietur δύναμιν Θεοῦ καὶ σοφίαν saluberrimam profundissimamqve. (d) Postqvam igitur & mihi, crucis JESU admiratori atqve amatori sincero, nobilissimum hocce textuum divinorum par, de voluntate AMPLISSIMI THEOLOGORUM COLLEGII fuit demandatum, (illud

(b) *Gen. III. 15.*

(c) *Es. LIII. 1. seqq.*

(d) 1. *Cor. I. 18. 24. c. II. 2.*


qvi-

qvidem oraculum Mosaicum, qvando primus mihi conferebatur in Theologia gradus, hocce autem Jesaianum, qvando nunc Bonocum Deo adscendendum erit paulò altiùs;) intima sanè cum oblectatione tractandum suscipio tale jam pensum, qvô fermè solô multi etiam è Judæis permoti sunt, ut favere cœperint Christianismo, teste magnô Helvicô t. IV. Giss. d. XIV. th. 39. qvô cum facit etiam Diegus Payva Andradius l. IV. pro conc. Trid. pag. 353. de Joh. Isaaco referens, viro suæ ætatis inter Ebræos doctissimo, ipsum videlicet ingenuè fassum esse, Prophetarum se, & maximè Jesaiæ, qvem non nisi Ebraicè legere poterat, continuâ meditatione fuisse pertractum, ut Judaicâ perfidiâ desertâ, Christo Jesu, à qvô mirum in modum anteà abhorruerat, nomen luben-

tiſſimè daret. Imò ipſemet etiam Andradius aliqvos ſibi dicit notos, non vulgaris anteà inter Ebræos, interiorem Africam incolentes, eruditionis, qvi ſolius capitis Jeſ. LIII. lectione inducti fuerint, ut domô, patriâ, parentibus, ampliſſimiſqve fortunis relictis Chriſto Jeſu ſe inflammatis ſtudiis conſecrarent. Taceo commendationem Lutheri in comm. h. l. item Phil. Melancht. qvi qvotieſcunqve in publicis prælectionibus in hujus cap. mentionem incidit, toties id tantæ perſpicuitatis elogiô evexit, ut ſi à Paulo poſt Chriſtum glorificatum eſſet ſcriptum, nihil planius dici potuiſſet. Rectà igitur ad evolutionem textûs propoſiti accedens, breviter diſpiciendum, arbitror I. de Vaticinii Subjecto, qviſnam ſit, de qvo cuncta hæc enunciantur. II. De

ana-

analysi textûs Philologica, qvoad voces scilicet spectatas tam seorsim, qvàm in hac aliave structura. III. De analysi Logica. IV. De epilysi qvæstionum controversarum, huc recidentium. V. De usu genuino. Largiatur nobis JESUS ςόμα καὶ σοφίαν!



U. I. De

I. De Vaticinii Subjecto.

§. I.

Qvæ prima erat summeqve necessaria magni illius Æthiopum reginæ aulici qvæstio circa ipsius hujus oraculi intellectum; *Rogo te, de qvonam Propheta dicit hoc? de se, an de alio qvopiam?* * eadem meritò & jam nostra. Et qvidem Christianos si consulas simul omnes, nemo Messiam hîc describi dissentiet. (Socinum, de qvo an Christiani titulô dignus, ambigitur, non moramur; hic ut elidat argumenta ex capite hoc contra se producta, *sub aliqvo typo hanc de Christo prophetiam* censet *propositam, ut incertum hâc ratione evadat, qvid, vel qvatenus de Christo debeat intelligi:* qvi etiam *communem hodiernam interpretationem, videlicet Christianam, ceu à vera propheticorum verborum sententia multum distantem* sic vult suspectam reddere. † Imò idem Socinus in *lect. sacris* p. m. 91. expresse typum illum nominat, nempe h. l. *sub populi Israëlis typo, qvi primùm in captivitatem*

* *Act. VIII,* 34.

† *Socin. part.* II. *de servat. c. V.*

tatem

tatem duci, & postea inde gloriose liberari debebat; prædici Christi mortem atqve supplicium, &c.

§. II. Ad Judæos si pergas, videbis eosdem instar (a) Samsonis vulpecularum omnes qvidem caudis fortiter unitos, (h. e. uno ore Messiam nostrum *Jesum Nazarenum* hîc indicari perneganttes,) at capitibus liberrimè qvemlibet in diversissima tendentem. Unus, de ipso Propheta *Jesaia*; alter de *Serubbabele*, tertius de *Esra*, qvartus de *Josua* Josadachi filio, summoqve Sacerdote & Serubbabelis parastatâ, (qvomodo hæc recenset Joh. Först. d. 1. super Jesa. LIII. th. 19. seq.) exponunt. Præ reliqvis copiosus in hac materia est *Don Isaac Abarbenel* Hispanus, qvi superiori seculô Patavii docuit in Italia, celebrisqve est pluribus in S. Scripturam commentariis, qvem Simeon de Muis (*varior. sacr. p.* 280.) nominat virum utiqve doctum, sagacem & acutum; inter alios Ebræos audiendum; de qvo etiam Const. L'Empereur (*middoth. p.* 174.) hunc ait, *cito eo libentius, qvo auctorem istum omnibus commendatiorem reddam, qvia ex ipso plura, qvam ex omnibus Ebræorum docto-*

(a) *Jud. XV. v. 4.*

ribus addisci possunt; qvippe si qvid in sacris literis obscurius sit, feliciter enarrat. Hic, inqvam, Abarbenel in suo super Prophetas commentario nuper Amstelodami Ann. 1642. excuso, nostratium priùs doctrinâ rejectâ, ad duo præcipuè capita reducit sensum hujus textûs, vel 1. ad populum Judaicum exiliô percussum, (atqve ita *R. Salomo & Kimchi*, item *Lipman* in suo Nizzachon per Cl. Hackspanium edito p. 129. 131. & reliqvi communiter,) vel 2. ad regem Josiam. Verùm cùm hujus versutiis satisfecerit jam abundè Doctissimus in hac literatura Vir, Const. L'Empereur in tractatu, peculiariter contra hunc Abarb. & Mosen Alschechum adornato, A. 1631. nolo actum agere. De *Jeremia* etiam textum hunc exponere nisus est anonymus qvidam semi-Judæus, ab Adm. Rev. & Ampl. Seniore Theologo Jac. Martini (l. 111. de tribus *Elohim* c. c111. seq.) latè refutatus, qvem si lubet cernere & illic poteris prostratum. Eidem semi-Judæo accensendus etiam nunc venit *H. Grotius* in suis nuper allatis V. T. annotationibus, qvi & ipse de *Jeremia*, ne uno cum cæteris Christia-

U nis

nis in censu sit, hunc locum interpretatur.

§. III. Causam verò, cur Judæi adeo aversentur jam capitis hujus de Messia expositionem; audi, qvàm egregiè eloqvatur Lutherus T. VIII. Jen. G. f. 75: *Non volunt*, ait, *nec ferre qvoqve possunt, ut nos gentiles ipsis coram DEO æqvales simus, & ut Messias tam nostrorum, qvàm ipsorum sit solatium & gaudium. Potius qvàm paterentur, ut nos gentiles, qvi ab illis sine intermissione conspuimur, &c. partem aliqvam de Messia communem cum ipsis haberemus; Messias vel decem crucifixuri essent; Deumqve adeq ipsum, (si qvidem id fieri posset.) unà cum angelis & creaturis omnibus supplicio mortis afficerent; &c. tametsi inferna vel mille subeunda forent.*

§. IV. Interea nos non desistemus; veritatem amplexari constanter, opponentes adversantibus tale argumentum, qvod partim est internum & χαϛικὸν, partim externum & ἰδιογνωμονικὸν; ex ipsismet Judæis petitum:

In qvem solum qvadrat 1. contextus, 2. (κατ' ἄνθρωπον) Chaldaica paraphrasis, (de qva vide sis *Weidn.* loca fidei p. m.

17. & *Helv.* de paraph. c. iv.) 3. Rabbini antiqvi, qvorum cor qvasi porta atrii, ubi modernorum est solummodo qvasi foramen acûs, imò qvi prorsus sunt filii asinorum; (vide Buxt. *Lex. Thalm.* fol. 789.) 4. Allegatio N. T. 5. Eventus & omnimodum vaticinii complementum; is solus h. l. est intelligendus: Atqvi non in Josiam, Jeremiam, Judæos &c. qvadrant ea omnia; sed in solum Jesum Nazarenum. E.

§. V. Si (1.) contextum examines, cuinam meliùs convenit (α) admirabilis ortus. (β) infima & cum plurimorum incredulitate juncta exinanitio. (γ) dolorum horrenda & innocentissima tamen perpessio, (δ) & qvidem [qvod caput causæ] dolorum ejusmodi, qvi aliis, tam Judæis qvàm Gentilibus, debebantur, (ε) qvam perpessionem seqvitur reorum expiatio, qvalis per אשם seu *sacrificium pro delicto* typicè olim obtinebatur, item reconciliatio, & per vulnera alterius sanatio; (ζ) peccatorum NB. *omnium, omnium nostrorum* bajulatio, (η) summa patientia; (θ) voluntaria animæ per mortem effusio, (ι) juxta eam pro prævaricantibus intercessio, (κ) gloriosa exal-

exaltatio, (λ) seminis seu asseclarum innumera multiplicatio, (μ) eorundem per nudam sui agnitionem justificatio; &c, qvàm uni atqve soli nostro JESU CHRISTO? Hæc enim singula, & conjunctim qvidem, uti omnino fieri debet, (ne qvædam Messiæ, qvædam Judæis, qvædam Mosi &c. tribuas ex continua hac unius servi tam sub initium qvàm finem nominati descriptione, qvomodo ineptè facit R. Alschech. in *tractatu L'Empereur* citato p. 241.) neqvaqvam convenient vel Jeremiæ, vel Jesaiæ, vel populo Judæorum universo; ut namqve de cæteris nihil dicam: anne Judæi patiuntur innocenter, ut nulla in ipsorum ore sit inventa fraus; &c. qvi tamen sunt dolosissimi, usurarii, proditores, & nebulonum pessimi, adeo ut alibi sua etiam peccata fateantur lubentes, ceu Messiæ tamdiu expectati remoram: anne Judæi patiuntur ita pro aliorum delictis, ut suis vulneribus sanent alios? anne animam instar victimæ ponunt, eandemqve post mortem ac sepulturam resumunt cum gloria? anne patiuntur ad instar ovis, & non potiùs more canum, in urbe cum ululatu dis-

cursitantium, Pſ. LIX. 7, 15. 16. impatientes videlicet ſeditioſi, &c. anne exaltationem ſperet ea gens, cujus vaſtitas ad finem uſqve mundi duratura; *Dan.* IX. v. 27.

§. VI. Chaldæum ſi inſpiciat Judæus, videbit hæc ejus expreſſa verba ad Eſa. LII. 13. הָא יַצְלַח עַבְדִּי מְשִׁיחָא *ecce proſperè aget ſervus meus* Meſſias: item ad c. LIII. 10. יֶחֱזוּן בְּמַלְכוּת מְשִׁיחֲהוֹן *intuebuntur regnum* Meſſiæ, &c. qvæ ipſa Targumi verba, ne tanqvam per allegoriam dicta interpretetur Abarbenel, ſatis cavet *L'Empereur* l. c. p. 49.

§. VII. Rabbinos veteres, qvorum apud nos exigua adeò copia, allegare ſuperſedeo, ſufficiat, id factum jam eſſe à Galatino l. VIII. art. C. V. c. XV. [ex qvo jam ferè omnes, ipſe verò ex aliis; nimirum juxta Scaligerum l. 1. epiſt. LXXXIV. & XCIII. & l. III. epiſt. CCXLI. ex Raimundi Sebon *pugione fidei*, vel potiùs ex Porcheti *victoria adverſus impios Judæos* juxta obſervationem Morini *exer. bibl.* l. 1. c. 11. qvorum uterqve Scriptor, tam Porchetus, qvàm Raimundus, in bibliotheca noſtra Paulina, niſi fallor, aſſervati fidem facient dictis.] Sufficiat inſuper, hanc

hanc Antiqvorum mentem non diffiteri Recentiores: audi Alſcichum (l.c. apud *L'Empereur* p. 227.) רז״ל פה אחד קיימו וקבלו כי על מלך משיח ידבר: i.e. *Rabbini noſtri b. m. uno ore confirmant tradunt qve de Rege Meſſia Prophetam loqvi.* Conf. eund. *L'Empereur* p. 51. ubi allegat Gemaram Babylonicam, Rabboth, &c. & p. 281. librum Jalkout: vide etiam *Helvicum* t. IV. Giſſ. pag. 95. 150. 361. nec non *Pau. Burgen.* ſcrutin. diſt. V. c. VII. f. m. 80. *Fini Hadriani Ferrar.* flagell. Jud. [Venetiis excuſum Anno 1538.] l. II. c. X. l. III. c. XIV. l. VI. c. LX. p. m. 61. 90. 274. *Petri Schwartz.* vide prædic. cochabh hammaſchiach, Eslingæ exc. An. 1477.) tract. V. c. IV. p. m. 129. *D. Mülleri* Judaiſ. p. 771.

§. VIII. Si deniqve Chriſtianæ forſan menti aliqvid circa hoc ſubjectum dubii ſupereſſet, ſufficient illi abundè tùm eventus, etiam pueris noſtris per Dei gratiam perſpectus, tùm numeroſa Evangeliſtarum Apoſtolorumqve in N. T. allegatio, adeo *ut nulla ſit* (obſervante D. Cramero cl. II. *ſchol. proph. vat.* VI. p. 282.) *totius Scripturæ pericope, qvæ toties*

ties citetur in N. T. qvàm hoc ipsum caput. Evolve modò Matth. VIII. 17, Marc. XV. 28. Luc. XXII. 37. Act. VIII. 32. s. Rom. x. 16. XV. 21. 1. Pet. II. 22. 24. 1. Cor. XV. 3. conf. etiam Joh. XII. 38. 1. Joh. III. 5. Messias ergo, & qvidem is, qvem nos Christiani veneramur, est subjectum illud, de qvo cuncta in hoc enunciantur capite: qvod ipsum, uti rursus habet *Cramerus* l. c. p. 287. *clavis est totius capitis, qvâ non inventâ, clausus & obscurus procul dubio manebit intellectus horum verborum.*

I. Analysis Philologica.

Vers. 8. ### §. IX. De Angustia & de judicio sublatus est.

In Ebræo est nomen עֹצֶר qvod præter h. l. bis tantùm occurrit, nempe Proverb. XXX. 16. *tria sunt insanabilia, sepulchrum,* עֹצֶר רָחַם *angustia matricis,* &c. & Ps. CVII. 39. *minuuntur* מֵעֹצֶר *propter angustiam seu coarctationem,* &c. ut proinde significatus generalis sit *coarctatio, pressura*; qvem significatum etiam LXX. observarunt, Ps. CVII. 39. ubi per θλῖψιν reddunt hoc verbum: sed specialiùs adhuc

huc restringit *Forst. in comm.* h. l. ad claustrum vel carcerem angustum, in qvem captivi à tyrannis compinguntur; cum qvo etiam facit *Tarn.* h. l. [Respicit enim ad radicem עצר *conclusit, continuit*, qvomodo David erat עצור *clausus* à facie Saul, I *Paral.* XII. 1. item Jeremias in carcere, *Jer.* XXXIII. 1. XXXIX. 15. XXXVI. 5. &c.] Qvando igitur de sensu hujus loci qværis, videbis per hoc *Ozer* intelligi à qvibusdam, (1.) carcerem propriè dictum, cui Messias patiens inclusus, (2.) angustiam ex multitudine populi mutuò se in tumultu collidentis subortam; qvomodo *Förerius* apud C. à Lapide accipit: (3.) angustias conjunctim qvasvis, sive corporis externas, sive internas animi; qvorsum contumeliæ, verbera, vincula, vulnera; item ira Dei, maledictio legis, tyrannis Satanæ, mors, infernales dolores, & juxta qvosdam ipsum etiam sepulcrum occlusum. Ita *Junius, Rivetus, L'Empereur* p. 109. & versio Belgica recentissima: **upt den Angst** / & in margine, **upt de helsche benauthept / die Christus in den Hof de** Gethsmane, [**daer hy bloet ghesweet heeft**] **doch insonderhept aen**

het Kruyce / gheboelt heeft / doe hy riep: myn Godt / &c. & è noſtris Mylius, Schilterus, Geſnerus, (p. 488. *in comment. ad Jeſaiæ quædam cap.*) Förſterus, Smuccius (*in prælectionibus ſuper Jeſaiam mſcr.*) aliiqve. Præterea hîc brevitatis ſtudiô verſionem LXX. ἐν τῇ ταπεινώσει ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη, qvam & ipſam retinuit Lucas *Actor.* VIII. 33. ceu à ſcopo ſenſuqve non adeò alienam: ſive enim dicas, alicujus judicium, ſuper ipſo videlicet ceu reo agitatum; tolli atqve dirimi, ſive reum tolli è judicio; item num dicas, aliqvem tolli ex anguſtia eundem humiliante; vel aliqvem in ſua humilitate ex anguſtiis oborta tandem liberari, parum profectò diſſonanter dices. Conſule præterea, ſi lubet, *Hieron.* & *C. à Lapide*: item *Alvarezium* f. 814. E. Præterea qvoqve ineptias *R. Alſchich.* de pluviarum & imbrium cohibitione hæc exponentem: item *Abarbinelem*, cui *Ozer* idem atqve מלכות *regnum*, ut propterea exſculpat, Iſraëli tam *Judicium* Sanhedrin, qvàm *Ozer*, i. e. regnum eſſe ademtum. Melius Chaldæus per יסורין *caſtigationes.*

§. X. Qvando autem nomini huic præ-

præponitur præfixum *Mem*, (me ozer) iterum hinc videas exortam dissensionem; nam aliqvi accipientes pro *Absqve* reddunt: *Sine carcere & sine judicio sublatus est*, hoc est, violenter, festinanter, judiciô tumultuariô; uti *Menochius*, *Vatablus* (absqve dilatione citraqve judicium raptus est,) *Musculus*, &c. ad qvem sensum etiam pertrahere LXX. vult *C. à Lapide:* sic fermè etiam *Procopius*, ὡς κατ' εὐτελοῦς γὰρ προχείρως τὴν ψῆφον ἐξήνεγκαν, vertente Curteriô, *temerè in eum, tanqvam in abjectæ conditionis aliqvem, lata est sententia.* Alii verò juxta communiorem textuiqve aptiorem significatum vertunt; *Ex* vel *De* angustia, *ex* judicio, &c. uti *Vulg. Luth. Pisc. Junius*, &c. qvibus & nos adhæremus.

§. XI. Alteram vocem משפט *judicium* qvod spectat, nolumus jam curiosè omnes ejus evolvere significatus, sed simpliciter acqviescimus in primo ejus nativoqve sensu, qvô sumitur pro tali judicis actu, per qvem coram tribunali causæ bonitas cognoscitur, reusqve vel absolvitur ac defenditur, vel punitur: qvomodo de non inclinando judicio agitur *Deut.* XVI. 19. XXIV. 17. &c. item 1. *Reg.*

III. 28. de *Mischpat* Salomonis super infante demortuo, &c. Qvando itaqve ad hunc devenitur textum, iterum diversimode vocabulum hoc à præcedente discriminatur. *Forerius* apud C. à Lapide prius ozer seu angustiam, designare vult tumultuantem populum, hoc autem *mischpat* magnates, sive senatum tam ecclesiasticum qvàm politicum, unà cum populo in Christi necem conspirantem. Aliter *Junius*, qvi angustiam de miseriis ab hominibus illatis, judicium verò de DEI manu ac consilio, juxta qvod Christus tanqvam sponsor nostri loco verberatus, vult accepta. Qvæ tamen subtilitas displicet *Riveto*, ut qvi iisdem tribui existimat & judicium & coarctationem, tam hominibus, qvàm Deo. Qvo cum fermè facit expositio *C. à Lapide* & *Tirini*, ceu hujus individui ferè pedisseqvi, accipientium hæc tanqvam hendiadyn; ab angustia & judicio, i. e. à judicio angusto vel angustiis pleno aut ex angustiis judicii. *Lyranus*, uti per Angustiam intellexit angores mortis, ita per judicium imaginatur sibi limbum, qvô omnes decedentes detinebantur ex divina sententia. Verùm omissis his arbitra-

bitramur nos, per *judicium* intelligi integrum eum Messiæ patientis statum miserum, qvô instar peccatoris, omnium maximi maledictionem atqve damnationem sustinuit horribilissimam; non solum eqvidem coram judicibus visibilibus, Synedrii videlicet Herodis ac Pilati, sed præcipuè coram tribunali Judicis universi orbis supremo, ubi maledictio legis ei impôsita, (*Gal.* III. 13.) tanqvam sponsori generis humani; qvam sententiæ judiciariam qvasi promulgationem, mox etiam comitabatur executio, ita ut per judicium forense maledicta crucis mors huic reo inferretur, unà cum tormentis cæteris.

§. XII. Ex hoc judicio לֻקָּח *ablatus est*. Qværat hîc qvis meritò (1.) *qvomodo*? ii, qvi reddebant, *sine carcere* &c. accipiunt hoc de *raptu* crucifigentium violento, ceu *Vatab. Leo Castrius, Orig. Tirin.* qvibus nonnulli etiam superaddunt supplicii genus, tanqvam tacitè simul indicatum, ac si scil. à suis hostibus *sublatus* sit in altum crucis patibulum; mox post latam à Pilato sententiam; qvam *Sanchezii* subtilitatem improbat etiam *Rivet.* ex Joh. XI. 32. 33. *Ego si*

sublatus fuero è terrâ, omnes traham ad me ipsum. &c. Verùm si probare modò posset, לקח *accepit, sumsit,* involvere minimâ saltem ratione aliqvam in altum sublevationem, possemus eqvidem de assensu cogitare. Sed cùm *Lakach* nudè significet *accipere,* vel è medio aliqvid removere, *rapere,* non possumus in hoc verbo tale qverere mysterium: sed simpliciter accipimus de læta Messiæ submotione vel ereptione è prioribus angustiis severiqve judicii perpessione. His jam adde, qvæ hanc in rem scripsit qvoqve *Tarn.* p. 452. ad h. l. *in tr. Psalm. pass.* Sic simul etiam satisfit qværenti (2.) *qvorsum* rapiendus Messias? nempe non ad crucis supplicium, qvod volunt *C. à Lap. Sa. Junius, Rivetus, &c.* Sed ad qvietem & ad gloriam, eô nimirum ordine, qvem ipse Salvator ostendit, Luc. XXIV. 26. *Nonne oportuit &c.* & Paulus *Phil.* II. 8. seq. *Exinanivit &c.* Adeoqve sensus est; Messiam non semper in tanta hæsurum esse ignominia ac tormentis, sed gloriose tandem instar Josephi è carcere triduano evehendum esse ad gloriam, solvendos esse dolores mortis &c. *Act.* II. 24. Ps. XVI. 10. rumpenda

esse

esse inferni vincula, perfringendas portas, *Jud.* XVI. 3.

Si (3) interroges, *per qvem* abreptus sit? respondebitur, juxta Lutherum aliosqve *à Patre*, hunc summum debitorem sponsoremqve post perfectam solutionem factam crudelioribus lictorum manibus iterum eripiente, ad solium evehente &c. hic namqve afflictissimam moribundi suscepit animam, *Luc.* XXIII. 46. atqve sic dolorum fecit pausam; hic virtuosè eum resuscitavit, *Eph.* I. 20. *Act.* II. 24. &c. Si deniqve (4.) scisciteris, *qvando* sit abreptus? scias, qvando dixit; *consummatum est*, qvando superatis cunctis *angustiis judiciiqve suppliciis* incepit qviescere, ad Patrem abire, triumphumqve in descensu ad inferos, resurrectione atqve ad cœlos adscensu consummare. *Ita Hieron. Haymo, Lyranus, Schilt. Först. Schnepfius, Cramerus, &c.*

§. XIII. Et generationem ejus qvis enarrabit?

Nomen דור generatio, à Kimchio *l. rad.* describitur, qvòd sit זמן חיי הארם *tempus vitæ humanæ*, או כל ימי אשר דר ארם בעולם *aut universi dies, qvibus homo habitat* (nota etymologiam & si-

mul adhibe Psal. xc. 10. de durationis termino) *in hoc mundo.* Sed insufficiens est hæc descriptio: non solùm enim ad tempus, sed simul etiam ad personas, communem stirpem habentes, plerumqve fit respectus; ut qvando de millesima piorum generatione asseritur, eam benedicendam à Domino, *Deut.* VII. 9. item qvando Moabita ne decimâ qvidem generatione ingredi ad cœtum DEI permittitur, c. XXIII. 3. Aliàs tamen stemmatis etiam respectus cessat, ut qvando generatio una (id est, homines eâdem ætate viventes) dicitur abire, altera advenire, *Coh.* I. 4. sic *Jud.* II. 10. surrexit *generatio* alia, *Ps.* LXXVIII. 9. *generatio* rebellis & refractaria: & in Proverbiis *Dor* solet dici certum genus hominum, moribus invicem conspirans, v. g. c. XXX. 11. seq. *generatio* patrem despiciens munda sibi visa &c. item Ps. XII. 8. XXIV. 6. Imò qvandoqve nec stemma, nec personæ, sed solummodo tempus, quo personæ solent vivere, attenditur, ac proinde metrum temporis accidens seu qvantitas designatur, v. g. anni regis qvasi דר ודר *generatio & generatio*, i. e. qvasi ætas multarum generationum continua: Ps. LXI. 7.

LXI. 7. ita; non erit tale qvid usqve ad annos *generationis & generationis*, i. e. per omnem temporis durationem, *Joël*, II. 2. anni tui in *generationem generationem* i. e. per omnia secula, Ps. CII, 26. Hanc autem acceptionis varietatem exclusam planè videmus ab hac voce, si apponatur affixum: ibi namqve semper, & qvidem per 40. & aliqvot locos designat *posteritatem*, à certo communiqve stemmate oriundam, v. g. inter *Dorothenu* posteritatem nostram & vestram, *Jos.* XXII. 27. 28. Sic omnis masculus *in generationibus* vel posteritate vestra *Gen.* XVII. 12. &c. Evolve, si vacat, locos universos reliqvos. Qvæ ipsa qvoqve observatio viam nobis munit ad certitudinem circa locum præsentem, ubi itidem annexum videmus affixum.

§. XIV. Qvapropter non est, ut (1.) cum qvibusdam Patribus, *Athanasio*, *Justino* & *Tertulliano* accipiamus hanc vocem de generatione Christi humana ex virgine; qvod satis ridiculè profert *Novarinus in umbra virg.* n. 203. ubi ex eo, qvod seqvitur, abscissus est de *terra viventium*, exsculpit Mariam sine labe originis esse conceptam; &c. neqve etiam

 (2.)

(2.) cum *Basilio*, *Chrysost. Hieron.* ad Matth. 1. *Alex. Alensi* &c. de generatione verbi divina; neqve etiam (3.) cum *August. Procopio, Hieron. Cyrillo, Haymone* aliisqve de utraqve, (qvos omnes citatos vide apud C. Lapidensem, Estium *in not.* ad h. l. *&* *Alvarez* f. 815. *Schilte-rum*;) qvippe vocem דור de tali generationis actu vel modo uspiam usurpari magnoperè dubito: neqve etiam (4.) cum *Forerio* & *Vatablo* congruè hoc trahitur ad homines Judæos, seculô illô patientis Christi viventes, ac si sensus esset: *qvis explicet pravitatem Judæorum, Pilati & militum, eô tempore Messiam judicantium angentiumqve?* nam ne sic qvidem vox דור cum affixo solet usurpari de nudis coætaneis, citra respectum paternitatis, &c. imò neqve inexcogitabilis adeò est hominum istorum pravitas: neqve etiam (5.) si positam semel hypothesin servamus, defendi adeo poterit sententia *Ruperti*, plerorumqve ex nostratibus, accipientium hocce *Dor* de Christi resurgentis vita in cœlo per omnem æternitatem gloriosa, sed (6.) præcipuè mentem Prophetæ asseqvetur illa interpretum cohors, qvæ vocem דורו accipit de Messiæ

ex angustiis erepti posteritate, seu de progenie Christianorum, uti ratione spiritualis nativitatis planè admirabili, ita per totum tamen orbem numerosissima, atqve ad finem orbis contra qvasvis inferorum portas durabilissima: cui favet *tum* vocis h. m. positæ communis usus, *tum* cohærentia cum anteced. qvòd Messias, crudeliter licet interemtus, non tamen careat asseclis, sed eosdem contra fremitum Satanæ, mundiqve nanciscatur creberrimos semperqve duraturos; item cum conseqv. *de semine* v. 10. de Ecclesiæ fœcunditate, c. LIV. (Apoc. VII. 9.) confer Joh. XII. 24. de grani in terra emortui fœcunditate.

Hanc mentem fovent *Lyranus*, *Carthus. Mariana*, *Franc. Qvaresmius eluc. terræ S.* t. 1. f. 303. a. 303. b. 783. b. [ubi gravissimos Patres, veteres & recentiores, hanc ait tenere mentem, qvi ipse tamen sui oblitus t. 11. f. 546. exponit de Christi resurrectione, prorsus contra vocem דור hìc extantem:] *Oecolam. Gesnerus* & *B. Höpfnerus* noster in privato olim collegio. Ita etiam *B. Schmuccius* in prælect. h. l. de *generatione ejusmodi*, *qvæ mortem Christi consecuta est*, *qvâ non ipse*

generatur, sed generat sibi filios ad æternam vitam per Verbum & Sacramenta, ipse vivens in æternum. Cui tamen sententiæ mox jungit etiam penultimam de Christi vita gloriosa atqve æterna, juxta illud Rom. vi. 9. *Christus ex mortuis excitatus, non amplius moritur, mors ei non amplius dominatur:* item Ebr. vii. 23. seq. *illi* [V. T. Sacerdotes] *plures facti sunt, propterea quòd mors eos prohiberet permanere. Iste verò qvia in æternum manet, perpetuum habet sacerdotium:* Apoc. 1. 18. *Fui mortuus, & ecce vivo in secula seculorum.* Qvam ipsam expositionem & nos non adeo improbamus, utpote Luthero, Brentio, Schnepfio, Tarnovio, item Calvino, Junio, Piscatori, Riveto, Sculteto, aliisqve probatam: imò cùm de victore hic agatur revivíscente, qvi non instar aliorum è mortuis resuscitatorum sit moriturus denuò, sed tanqvam rex æternus, (*Luc.* 1. 33.) æternum qvoqve regnum atqve subditos habiturus; ideo conjungi poterunt ambo sensus, ceu fecit *Musculus*, item *Forsterus*, qvi primariò ad Christi perennem vitam, secundariò ad spiritualem Ecclesiæ propagationem hocce trahit. Appono etiam glossam *L'Empe-*

reur p. 110. qvi hæc non solùm de tempore, sed etiam *vita* (regiæ) *ratione ac formâ inexplicabili* exponit, qvomodo Redemtor omnia suô sustentet gubernetqve potenti verbô, &c.

§. XV. Restat adhuc verbum ישׂוחח qvod à שׂוח *meditari*, item *meditata eloqui*, trahit originem, neqve etiam alibi in hac forma piel occurrit, qvàm Psal. CXLIII. 5. *de opere manuum tuarum* אשׂוחח *meditor vel loqvor.* Proindeqve qvando per interrogationem Propheta excitat lectorem, ut de viribus suis super hac re secum dispiciat, propositio exinde emergit negativa; *quis*, id est, *nemo* vel meditando, vel sermocinando, asseqvetur satis aut exponet admirabilem æterni Messiæ æternam copiosissimamqve progeniem vel posteritatem.

§. XVI. Qvia abscissus est de terra viventium.

Eleganti verbô mortem Messiæ describit h. l. Propheta, qvippe qvod cogitare nos jubet de tali ablatione, ubi Messias non ex defectu virium naturalium, ob imminutum calidum nativum aut humidum radicale, paulatim tabescit, vel seniô absumitur, sed ubi hic

ipſe, adhuc inſtar arboris vegetæ ac viridis ſucci plenus bonæqve valetudinis, violentô qvôdam modô, tanqvam adhibitâ ſecuri, ſucciditur, ut ne ampliùs inter has *terræ viventium* arbores conſpiciatur. Nam גזר eſt rem continuam vel integram ſeparare, inſtrumentô qvôdam *diſcindere* vel *ſecare*, qvomodo in *Kal* uſurpatum videmus de infante ſecando, 1. *Reg.* III. 25. 26. item de lignis in ſylva ſcindendis, 2. *Reg.* VI. 4. ſic in Niphal per metaph. à lignis ſucciſis petitam, uſurpatur de iis, qvi planè videntur periiſſe, v. g. *Thren.* III. 54. dixi, *ſucciſus ſum*, (nun bin ich gar dahin) *Ezech.* XXXVII. 11. ubi captivi: *Succiſi ſumus*, h. e. actum eſt de noſtra in patriam reverſione, ibidemqve repullulatione: ita leproſus rex dicitur *ſucciſus* è domo Domini, i. e. planè ab hoc Paradiſo ſegregatus, 2. *Paral.* XXVI. 21. ſic demortui in ſepulcro dormientes, dicuntur à manu Dei *ſucciſi eſſe*, qvorum non recordetur ampliùs, *Pſal.* LXXXVIII. 6. (plura de hoc verbo dabit *Förſt.* & *Tarnov.* com. h. l. & Ampliſſimus Vir Theologuſqve pientiſſimus Dominus *D. Wellerus*, Fautor meus magnus, *Diſp.* de

Jes. LIII. p. 93.) En ergo hîc (1.) Messiæ ceu arboris vitæ, non gloriosam translationem, qvalis Enochi, *Gen.* v. 22. vel Eliæ, 2. *Reg.* II. 11. sed mortem; eamqve (2.) non naturalem ex morbo, &c. sed violentam, (3.) subitam, (4.) in ætate non decrepita, sed florente, (5.) per manus iniqvorum illatam, &c. fuit siqvidem *lignum viride*, (innocens, amabile,) *Luc.* XXIII. 21. fuit surculus custodiâ dignissimus, *supra* v. 2. nihilominus *exscinditur* יכרת (Dan. IX. 26.) instar rami inutilis aut extremè noxii, qvomodo Jeremiæ olim (c. XI. 19.) minitabantur: *Exscindamus eum de terra viventium, ut nominis ejus non supersit memoria.*

§. XVII. *Terra viventium* (qvàm rectè *Symm.* & *Theod.* apud Procopium transtulerunt γῆν ζώντων, ubi citra regimen additô insuper affixô acceperunt LXX. ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ αἴρεται,) utut alibi pro æterna accipiatur veraqve beatorum vita, hôc tamen locô satis expressè præsens designat seculum, qvatenus vita hæc naturalis opponitur *terræ oblivionis, caliginis aut mortis*; ubi juxta nostrum qvidem sensuale judicium videtur

planè actum esse de mortuis, eos neqvaqvam ampliùs vivere; neqve etiam qvoad animam, &c. ceu Jobus hinc inde in suo conqveritur libro. Ita verò pro præsenti vita ponitur hæc phrasis etiam *Jer.* xi. 19. *Job.* xxviii. 13. *Ezech.* xxxii. 32. *Jesa.* xxxviii. 11. *Psalm.* xxvii. 13. cxvi. 9. ubi à qvibusdam speciatim restringitur ad Ecclesiam in his terris militantem; qvomodo & illud Psalm. cxlii. 6. *Tu es portio mea in terra viventium.*) Placet tamen adscribere etiam observationem Lutheri in post. dom. (*edit. Jen.* p. 208. b.) Leben heist in Ebräischer Sprache guten Muth haben. Darum / er ist aus dem Lande der Lebendigen hinweggerissen / heist: Er ist nicht mehr bey den Leuten / die da guten Muth und gute Tage haben. Qvamvis etiam Abarbenel & R. Lipmani (*in Nizz. edit.* Haksp. p. 130.) terram viventium nimis strictè de terra exponant Israëlitica; tanqvam lacte & melle fluente, nihil tamen h. m. officient textui præsenti.

§. XVIII. Qvoad particulam כִּי *qvia*, dicere adhuc restat aliqvid. In consveta eam significatione causali accipiunt plerique,

riqve, *qvia:* (nisi qvod *Ema. Sa* per *Tamen.* Dn. D. Well. per *Qvamvis* exponant) nexu tamen paulisper diverso. Rivetus ita: in morte non poterit manere Messias, sed immortalem vivit דור vitam, *qvia* innocenter non ob sua, sed populi delicta, &c. melius *Cornel. à Lap.* ideo copiosam habebit דור *generationem* vel *posteritatem, qvia abscissa hæc arbor* in plures repullulabit surculos: sic & *Oecolamp:* granum hoc feret copiosum fructum, *qvia* mors ejus jam præcessit; item, mori & affligi potuit is, qvi mundo dat vitam, *qvia* propter peccata non sua, sed populi, &c. ita & *Gesner.* propagationis Ecclesiæ causa mors Christi innocens. Si novitatis traheremur studiô verteremus ratione accentuationis habitâ, hoc versiculi membrum posterius ita: כי *qvando* de terra viv. abscindetur Messias, plaga hæc ei (infligetur) ob prævaricationem populi (alienam.) Verùm acqviescimus in mente B. nostri *Gesneri.*

V. id. Gesn. in Proverb. 1154.

Gesner. ibid. p. 637.

§. XIX. Propter transgressionem populi mei plaga fuit ipsi;

Morti

Morti violentæ subjicitur causa meritoria, nempe eandem à Deo permissam esse super sanctum suum servum, aliis vitam dantem, ideo qvia delicta populi, primam Adami in paradiso prævaricationem subsecuta, mortem omnino meruerant, qvam ipsam hæc victima piacularis in se suscepit. Toties autem in *cap. hoc* Christi innocentia & aliena repetuntur peccata, ut & eorundem per Christum expiatio, qvia utrumqve non facilè creditur, & cum salutis tamen dispendiô ignoratur. Transgressio autem hæc nuncupatur in fontibus פשע, qvod nomen gravius qvid designat, qvàm עון *iniqvitas.* Descendit namqve à פשע rebellem esse, à Domino legitimo descíscere hostiliter, eiqve inimica qvævis inferre, ceu de Moabitis id usurpatur, 2. Reg. I. I. 3. 5. 7. de Edomæis. c. VIII. 20. 22. &c. sæpissimè de hominum defectione à Deo ad partes Satanæ, ut Jer. III. 13. Zeph. III. 11. Jes. I. 2. &c. proindeqve *Péscha* est peccatum enorme, scienter volenterqve commissum contra superiorem, in gratiam carnis, mundi, Satanæ: qvale crimen erat Davidis adulterium cum cæde junctum, Ps. LI. 3. 5. Josephi venditio,

Vid. Gejer. in Proverb. 1554.

Gejer. ibid. p. 637.

ditio, Gen. L. 17. confer. Amos 1. 3. 6. 9. 11. 13. c. 11. 1. 4. 6. Qvare & h. l. grandis illa Adami in paradiso rebellio, unà cum subseqvis filiorum ejus, tanqvam *populi Dei*, jure creationis, &c. huic regi devinctissimi, flagitiis intelligenda venit, de qva *Rom.* v. 15. seq. Præfixum verò (מ) procul dubio valet h. l. *Propter*; ceu suprà v. 5. *propter transgressiones nostras*; adeoqve causam designat mortis hujus meritoriam, non verò efficientem, (uti qvidem alternativè hanc mentem profert *Hier.* & *Procop.* vel ut crimen expiaret, vel qvia à criminosis interemtus; qvod prius tamen repudiant *Junius* & *Pisc.* exponentes à *prævaricatione*, hoc est, à populo Judaico occisus est; qvi tradidit eum Pilato, &c.) nam sic potiùs personæ, qvàm crimini vel actioni, præfixum hoc fuisset præmittendum. Qvare etiam *Rivetus* hac in re dissentit à sodalibus; item *Oecolampad.* *Polanus* de meth. conc. p. 261. *Versio Belg.* **om de overtredinge mijnes Volcks:** in Schol. **van wegen de Sonden/ soo der Joden als der Heydenen/ is hy aldus geslagen ende gemartelt/ welcke andersins/**

sijns / met rechte / de Straffe hadde moeten treffen. aliiqve. Vide etiam *Tarnovium* p. 457. qvi Junium alterius simul errati hîc incusat.

§. XX. Qvando autem dicitur, *Populi mei*, videmus, personarum loqventium factam esse mutationem, (in Prophetis alioqvin receptissimam) cùm suprà v. 6. Propheta loqvatur de Domino, nunc verò Dominus verba faciat ipse. Nisi fortè dicas, Prophetam *suum* vocare *populum* Israëlitas, non ratione possessionis, sed communis consangvinitatis. Qvi ipsi Israëlitæ ex hac hypothesi propterea speciatim hîc adducuntur, tanqvam mortis Messiæ causa, non ut excludantur Gentiles, sed ad retundendam gentis hujus opinionem sanctitatis communem, ne fortè Israël morte Messiæ se non indiguisse, aut ei non dedisse ansam arbitraretur. Ubi contra Calvinianos nota, sicut mors Christi pro Judæis facta, propterea non excludit gentes, ceu fatetur ex Polano *Joh. Georg. Gross.* theat. bib. t. 11. p. 446. qvem vide: ita loca Christum pro electis mortuum dicentia, non excludunt propterea reprobos. Placet tamen adhuc, *populum suum* hîc vocari

à Deo

à Deo Adami posteros, seu populum è multis gentibus ad Pastorem unum, *Ezech.* XXXIV. 23. collectum, ceu vult *L'Emper.* p. 114.

§. XXI. Deniqve cùm dicitur; נגע למו *plaga illi*, sc. fuit; nolumus prolixi esse in conciliandis LXX. ἤχθη εἰς θάνατον, *ductus est ad mortem*; ubi Symm. habet ἐπληγὴ αὐτοῖς, scil. prævaricantibus: Theodotion verò ἥψατο αὐτῶν, *tetigit eos*, h. e. percussit, ceu flos *tactus* apatrû, i. e. percussus; item nolite *tangere* Christos meos: (ita *Drus.* in fragm. h. l.) Confer etiam de LXX. *Corn. à Lapide*, & *Jac.* Pinto *Christum crucif.* fol. 204. Sufficiat נגע aliàs *Plagam* vel percussionem notare gravem, à manu Dei irata inflictam; qvomodo & Lepra sæpius hôc insignitur nomine: atqve sic & h. l. multiplex ea Messiæ passio, à manu Dei irata, Zach. XIII. 7. inflicta, emphaticè designatur. Vide *Tarn.* p. 435. item *Jac. Pinto* l. c. Vocula למו cùm aliàs plerumqve sit numeri pluralis, difficultatem multis peperit: Musculus propterea repetiit מן h. m. *propter plagam eorum* (Israëlitarum) excisus est de terra viv. qvod tamen coactum. Brentius: propter

pter ſcelus populi mei, ſeu membrorum meorum, *qvibus* debebatur *plaga*, exciſus eſt. *Troſtius* b. m. in collegio olim privato, ſi rectè memini, למו dicebat poſitum pro לו *ei*, eo qvòd amplificandi cauſâ Ebræi pluralem ponant pro ſingulari; qvod ipſum qvoqve ſentit. h. l. *Tarnov.* Verum magis arridet nuda *Kimchii* aſſertio, למו tàm ſingularem, qvàm pluralem notare, ob utramqve literam præſentem, (ם) qvæ aliàs plur. (ו) qvæ eſt ſingularis nota: vide ejus locum aliaqve notatu digna apud *L'Emper.* ad h. l. p. 35. & *in annot. ad gram. Moſis Kim.* p. 241. ſeq. adde etiam locis ibidem adductis *Pſal.* v. 12. & *Pſal.* XXVIII. 8. *Gen.* IX. 26. 27. item Exc. *Glaſſium* lib. I. Phil. S. p. 126.

Verſ. 9. §. XXII. Et dedit cum impiis ſepulcrum ejus.

Qvò planiora ſunt verba hujus periodi ſeorſim ſpectata, eò difficiliora ſunt, ſi intuearis eorundem h. l. ſtructuram, adeò ut vix duo vel tres in iis exponendis conveniant, non pauci apertè ſuam fateantur imbecillitatem: qvomodo Alvarez h. l. *non veretur ingenuè confiteri, ſe incertum adhuc eſſe, qvid ſibi h. l. voluerit Jeſaias.* Præcipuas ſolummodò

lubet

Jubet intueri expositiones. Et qvidem (I.) sunt, qvi particulam את accipiunt, pro nota *dativi* casus, citantes grammaticorum regulam, qvod *articulus* את *seqvens verba, dativum reqvirentia, sit nota dativi, pro* אל ceu *Levit.* XIII. 49. *Job.* XXVI. 4. I. *Sam.* XXII. 14. Proindeqve reddunt: *Dedit* (Pater seu ipse Messias) *sepulcrum suum impiis*, videlicet tùm Judæis, tùm militum custodientium cohorti, qvorum imposturæ, mendaciis, convitiis & injuriis Christi sepulcrum fuit expositum. Ita *Gesnerus*, *Försterus*: Item *Junius*; *exposuit* (populus) *improbis* (h. e. gentibus, olim רשעים appellatis,) *sepulcrum ejus*: Juniiqve assecla *Piscator*, (welches mein Volck / sein Grab übergeben hat den Gottlosen;) *Sculte-tus*, &c. Verùm ut de regula Grammaticorum adducta nil dicam, exempla sanè parum cum textu hoc conveniunt.

§. XXIII. Sunt (II.) qvi voculam את accipiunt ut accusativi indicem: qvi tamen in aliqvot rursus dividuntur classes, (I.) LXX. & *Vulg.* Et dabit impios pro sepultura: Vetus German. (Norim. 1518.) Er giebt die Vngütigen für die Begräbniß & Dietemb. Er wird die Gottlosen für sein

Begräbniß geben Qvæ in malam accipiunt partem, *Euseb.* l. III. *demon.* c. II. *Procop. Chrysost. Cyrill. Eutym. Rupertus, Lyranus glossa ordin. Leo Castrius, Menoch. Sa, Tirinus*, h. m. dabit (in interitum & à Romanis æternæ servituti mancipandos) *impios* (Judæos) pro sepult. (eò qvòd innocentem & sanctum occiderint.) His adde Chaldæum: *Dabit impios in Gehennam:* qvi pro sepulcro locum posuit æternæ mortis. (2.) In bonam verò partem accipiunt *Hugo, Thomas, Dionysius, Sa*, citati probatiqve ab *Alvarezio* h. m. dabit (Pater, Messiæ hactenus afflicto) impios (gentes) pro sepultura (pro eo, qvod sepultus est, ut videl. hi *impii* eidem subjugentur, juxta Ps. II. 9. & ut *dives* Judæa ejus suscipiat *imperium*, atqve sic una ex utrisqve fiat Ecclesia, vi mortis Christi acqvisita.) Utramqve hanc sententiam conjungit *Hieronymus* & *Haymo.* (3.) Aliter adhuc Augustinus, citatus à Corn. Lap. *dabit* (Pilatus) *impios* (milites) *ad sepulturam ejus* (custodiendam, Caiphas dabit) *divites* (Judæos,) custodes hos pecuniis suis corrumpentes) *pro morte ejus*, (ne eum à mortuis resurrexisse fateantur.)

(4.) Brentius b. m. hunc affert sensum; *dedit impios in sepulturam suam, & divitem in mortem suam*, id est, assumsit secum iniqvos, ut expiatâ & sepultâ impietate ipsorum, fruerentur unà cum ipso beneficiis resurrectionis ejus: qvorsum citat illud Rom. VI. 4. *Sepulti igitur sumus unà cum Christo*, &c. & v. 8. *Si mortui sumus cum Christo, credimus, qvòd & vivemus cum illo:* & Col. II. 20. *Si mortui estis cum Christo*, &c. Sic & *Bernh. Zieglerus* nobilis Misnicus, insignis Theologus & in Ebrææ Lingvæ professione meus hîc Lipsiæ olim antecessor, memorante Matthesiô, in vita Luth. p. 144. textum hunc exposuit: Meßias ist arm gestorben / daß Er uns reich mache / und hat unser gottloß Wesen in sein Grab verschorren oder verschlossen. Qvorsum etiam Theologi in Bibliis Vinar. So hat Er auch unsere Sünde mit sich ins Grab genommen. Sententiam hanc egregiè expoliverunt Dn. D. Glassius l. II. Phil. Sac. Tr. I. Can. II. p. 379. *posuit* (Christus) *improbitates in sepulcro suo, & divitias* (concretô pro abstracto sumtô) *in morte sua:* & Dn. D. Wellerus, disp. p. 95. Hanc mentem videtur etiam attendisse *Tirin.*

sic scribens: Diabolus, peccatum, mors & infernus per hanc Christi mortem spoliabuntur suô dominiô, & ita qvasi occumbent cum Christo: tanqvam cum Simsone, Jud. XVI. 30. Hoseæ XIII. 14. item mors Judæorum sociabitur morti Christi, tanqvam mors Philistæorum morti Simsonis. Priorem *Brentii* interpretationem approbat & cum Lutheri conjungit Tarnovius: Gerhardus in Harm. pass. p. 928. vocat *satis concinnam, nec discedentem à litera, insuper etiam pulcherrimè de fructu sepulturæ Christi testantem.* Imò & Corn. à Lapide *hunc sensum* ait *indicare Ebræa: dabit impios sepulcrum ejus, q. d. faciet Deus Pater, ut impius & impietas cum Christo sepeliantur, omnisqve improbitas in barathrum retrudatur, &c.*

§. XXIV. Sunt (III.) qvi voculam אֶת accipiunt ut præpositionem *Cum.* Sed iterum diversimodè: (1.) propriè nonnulli h. m. *& dedit cum impiis sepulcrum ejus,* h. e. ad mentem Vatabli, Forerii & Pagnini: *morietur in monte Calvariæ, ubi de impiis tantùm sumetur supplicium:* vel juxta D. Cram. sch. proph. cl. II. p. 363. danda est Messiæ sepultura

cum impiis, seu *inter* impios, ita tamen, ut nihilominus in morte sua futurus sit cum divitibus; qvod ipsum ulterius declarat h. m. sepulcrum non præcisè sumi pro lapidea illa in horto mole, verùm in latitudine qvadam, pro cadaveroso sangvinolentorum cordium sepulcro, qvomodo *Matth.* x. 11. 40. tres dies & tres noctes in centro terræ idem futurus scribitur, qvatenus scil. primâ statim captivitatis nocte totum Christum sepeliebant & obruebant, &c. imò sepulcrum ibidem accipit pro illa fossa, in qvam Christus cum cruce, tanqvam cum loculo, immittebatur in monte Calvariæ. Huc refer Const. L'Empereur p. 37. *tradidit* (populus meus) *cum impr. sepul. ejus; qvando Pilato hunc sisterunt, ut cum latronibus infami supplicio afficeretur, & eôdem cum illis locô haberetur.* Sic & Belgarum versio: **ende men heeft syn Graf by de Godtloose gestelt**, ubi scholion exponit de impiis sepulcrum custodientibus, vel de intentione Judæorum, **de boose Joden meynden wel / dat men het Lichaem Christi by / of met der moordenaren Lichamen soude wech doen / om sulcke ende andere oorsaken al soodanige**

ge doot van Pilato vorderende: maer de Voorsichtigheyt Godes hadde dit anders geordineert / want Christus is begraven geworden in Josephs van Arimathea / eenes eerlijcken ende rijcken Raetsheeren / Graf / Matth. XXVII. 60. Qvæ postrema verba ipsissimam exhibent *Riveti* mentem, qvi agi hîc censet de Christi sepultura, qvam etsi Judæi cum impiis destinâssent, aliter tamen, ita disponente Deô evenit, qvia cum divite in mortibus ejus, &c. Alii (2.) voculam את accipiunt qvidem pro *cum*, ita tamen ut similitudo saltem vel qvalecunqve indicetur consortium aut convenientia in certo tertio, non realis consociatio: proindeqve exprimunt per *sicut* v. g. Luth. Er ist begraben wie die Gottlosen. Tarnovius voluntariè se obtulit ad flagellandum, crucifigendum, moriendum & sepeliendum, *non secus ac si ipse fuisset improbus, ita inter eos ab hominibus est reputatus*, &c. eadem qvoqve habet in *exerc. bibl.* p. 600. Sic & *Schuepfius* illustrat, eum non minus sepultum & mortuum, qvàm impii solent, qvi peccatis suis mortem merentur. Item *Marian.* & *Flac.* in clave, voce *Mors.*

§.XXV.

§. XXV. Nunc, anteqvam nostram informemus mentem, etiam ad alterum versiculi membrum: ubi vox עשיר notat *divitem*; seu facultatibus instructum, 2. *Sam.* XII. 2. cui opponitur exhaustus, egenus, *Ruth.* III. 10. 2. *Sam.* XII. 1. *Psal.* XLIX. 3. qvi, tanqvam adjuncta, multos habet amatores, *Prov.* XIV. 20. sibiqve videtur sapiens, c. XXVIII. 11. superbè loqvitur, cap. XVIII. 23. injustitiâ abundat, *Mich.* VI. 12. &c. Deinde במו־תיו tripliciter fermè accipitur ab Interpp. (1.) *Schnepfius* vult esse infinitum cum aff. *in mori ipsum*, i. e. dum moreretur: sed non solùm puncta, qvod ipse fatetur, sed & literæ obstant; qvid enim *Jod* ante *Vav* in infinito? & qvis tàm facilè cum C. à Lapide & Musculo expungeret hoc ipsum *Jod* præter omnem necessitatem? (2.) alii, iiqve magni auctores, non à מות *mors*, sed à במה *excelsum* derivant hocce vocabulum, ut sensus sit: posuit inter impios sepulcrum suum, & ap. divitem, vel cum div. mausolea sua: ita *Oecolampad. Forerius*, *Forsterus* in Lex. prolixè, cujus zelum contra Judæos super hac voce laudat, conjecturasqve non leves esse censet

Mercerus in Lex. Pag. seqvitur etiam *Schindl.* f. 171. *Drusius* in Levit. c. LXXX. p. 323. *Rivetus* ad h. l. *Helvicus* vind. loc. V. T. p. 255. &c. Ubi saltem hoc noto ex Concord. vocem במות *excelsa* XXI. vicibus poni in sacris; ubi ob affixa vel regiminis formam *Kamets* sub (ב) nunqvam tamen mutatur in scheva, qvale hîc est: deinde à מות pluralis מותים reperitur non tam de cruciatibus mortiferis, ut non nemo objicit, qvàm de morte ipsa, qvomodo *Ezech.* XXVIII. 10. de uno idem hîc pluralis usurpatur: מותי *mortibus præputiatorum morieris*, &c. (3.) Communiter vox hæc sumitur ut pluralis à מות *mors*, cum præf. (ב) *in* vel *post* [cujus posterioris significatûs exempla dat Pisc. in *indic.* ebr.] ubi simul pluralis adhibetur, *tum* ad varios cruciatus ac multiplicem fermè mortem, tum ad multiplicem Judæorum cupiditatem, unâ qvasi morte non contentorum, designandam; ceu ex *Luth.* observat *Tarnovius*, fortè etiam, qvia una Christi mors instar multarum totius generis humani mortium, 2. *Cor.* V. 14. Confer & L'Empereur p. 116. 117.

§. XXVI. Versio proinde resultat ta-

lis,

lis, (1.) in dativo: (α) & [dedit] *diviti*, [h. e. divitibus seu impiis, qvi promiscuè solent sumi, ceu communes etiam habent literas, רשע *impius fuit* & עשר *dives fuit*, *confer Matth.* XIX. 23. *Luc.* I. 53. XVI. 9. ut hâc ratione utrobiqve Judæi milites-qve impii notentur] *in mortibus suis*: ita *Gesnerus*, v. etiam *Procop.* (β) *& dedit se diviti in mortibus suis*, h. e. Josepho Arim. tanqvam funeris curatori. Ita *Först.* (γ) *&* [dedit populus Messiam] *diviti* [Pilato] *in mortes suas* [in propriam suam perniciem, Matth. XXVII. 25. [ita *Junius*, *Pisc.* &c.

(2.) In accusativo: *& divitem pro morte suâ*: ita Vulg. LXX. &c. ubi iterum (a) pleriqve ceu synonyma capiunt *impios & divitem*, *positô* insuper sing. per enallagen pro plur. (b) alii, ut *Hieron.* per impios dici volunt gentes, per divitem verò Judæos, præ illis multoperè eminentes, Rom. IX. 4. (c) alii: *& divitem*, i. e. divitias vel copiosum fructum, vide suprà §. 23. (d) Tirinus & Forerius de ipso Christo: & *divitem* [seipsum ponet vel faciet Christus] *morte suâ*, tum spoliis hostilibus, tum præmiis paternis; filii qvoqve ejusdem, addit Tiri-

nus, ditescent omni genere divitiarum, maximè spiritualium & cœlestium.

(3.) In ablativo: *(α) cum divite* [fuit] *in mortibus suis*, hoc est, in manibus Josephi divitis, inqve ejus sepulcro: ita *L'Empereur.* p. 37. & 116. *Chamier.* t. 1. panstr. l. XII. c. XII. §. 66. Versio Belgica: **ende hy is by den Rijcken in sijnen Doot geweest:** *Vatablus, Pagninus, Cramer.* schol. proph. p. 365. &c. *(β) & cum divite*, [h. e. instar divitis, qvi aut iniqvus aut iniqvi hæres, item qvi solent esse seditiosi, cujus criminis & Christum incusabant,] exposuit se *in mortes suas*, h. e. omnis generis mala: ita *Luth. Tarn. Schnepfius, item Oecolamp.* occident Christum, sicut divitem, qvi non propter maleficia, sed divitias occiduntur: fraudulenter scil. & per insidias ante tempus, juxta *Marianam.*

§. XXVII. In tanta ergo dissentientium nube, qvid eligemus? certa qvædam præmittam præsupposita, atqve postmodùm simplicissimam amplectar mentem. (1.) ratum esto, Esaiam, ceu apertum adeò mortis Christi descriptorem, neqvaqvam sepulturam in splendido hoc vaticinio omisisse; ac proinde

(2.) vocem קבר qvæ aliàs propriè solet designare locum, ubi qviescit cadaver, etiam h. l. notare non sepulcrum metaphoricum, h. e. opertionem vel contumulationem anxietatum, aliqvem veluti prorsus obruentium, uti Calvinus, Marlor. & Sultetus volunt, sed sepulcrum propriè dictum; qvamvis fortasse *(3.)* non adeo absurdi sint illi, qvi synecdochicè sepulcrum capiant cum antecedanea passione & morte, v. g. *Junius*, *Cram.* l. c. aliiqve. *(4.)* in sacris haut rarò tales dari versus, ubi ex uno membro repetendum est vocabulum etiam in altero, v. g. *Filius sapiens lætificat patrem* [& matrem,] *filius verò stolidus mœstitia est matri suæ* [& patri suo:] Prov. x. 1. sic Psal. 1. 6. *novit Jehovah viam justorum*, [ideoqve non peribit;] *via autem impiorum* [qvam non novit] *peribit*. Imò ut Amesius ad Ps. I, 6. ex Cartwrigtho notat, in Proverbiis Salom. partes parabolarum axioma compositum semper ferè constituunt, & sunt inter se adversæ, ideò altera per alteram debet explicari. Confer *Coh.* 11. 14. (ibidemqve Mercerum in comm. *Prov.* IV. 8. cap. XVII. 24. item *Glass.* l. IV. *phil. tract.* II. *obs.* XIII. p. 905.

§.

§. XXVIII. Mens igitur Prophetæ simplex erit hæc: *Et dedit* [nempe pater percutiens, v. 5. & 10. vel ipse Messias propter populi mei scelera percussus, v. 8. vel impersonaliter, *datum est*, juxta versionem Genevensem & Belgicam suprà citatam,] *sepulcrum ejus in morte ejus* [seu postqvam multiplici morte esset peremtus,] *cum impiis & cum divite*, h. e. Messias non statim in cruce revixit, sed sepeliri priùs debuit, & qvidem eôdem, *cum impiis* latronibus secum crucifixis (v. 12. *Marc.* xv. 28.) tempore, eôdemqve prout Judæi qvidem intendebant, (Joh. xix. 31.) sepulturæ genere, imò sepultus etiam est eôdem *cum impiis* locô, qvippe non solùm in terra S. prope Hierosolymam cum impiis terræ ac civitatis sanctæ incolis, impiè eum crucifigentibus, sed & *cum* vel non procul ab *impiis* seu facinorosis, in loco calvariæ, (cui vicinus erat hortus, *Joh.* xix. 41.) sepeliri solitis, passus est se tumulari. Sepultus tamen cum impiis est eô modô, ut non ignominiosâ vel asini sepulturâ, prout optâssent qvidem Judæi, fuerit affectus, sed splendidâ ac nobili, *à divite* sc. Senatore in suum delatus monumen-

tum, *à divite* Nicodemo *instar divitis* sumtuosè compositus, ut ibi *cum divite* etiam maneret, nisi resurgendum fuisset huic splendido victori. Facit huc glossa Dn. D. Calixti part. III. *harm.* p. 514. dedit cum impiis *vel apud impios, nempe in vicinia loci, ubi supplicium à sceleratis sumi solitum*, sepulcrum ejus, & cum divite *vel apud divitem, scil. in horto divitis Josephi* in mortibus ejus. Item Dn. D. Danhaw. Χριστοσ. p. 249. existimavit unusqvisqve, qvi eum vidit suppliciô cum sceleratis affectum, eôdem qvoqve sepulcrô cum sceleratis sepultum iri. At melius res cecidit, qvia sepultus est cum divite, à qvo honorificè conditus in mortibus suis, hoc est, postqvam mortuus fuit.

§. XXIX. Eò qvòd violentiam non fecit, &c.

In Ebræo est particula עַל qvæ aliàs πολύσημος, procul dubio hîc ponitur elliptice, non pro עַל־מָה *ob qvid*? interrogativè, ceu non nemo vult, sed pro עַל אשר *eò qvòd*, (ceu integrè Psal. CXXXIX. 14.) valetqve *Eò qvòd, ideo*: similem habes locum Psal. CXIX. 36. עַל לֹא־שָׁמְרוּ *propter (eò qvòd) non custo-*

custodiverunt legem tuam, vel, *propter non custodire*, positâ phrasi integrâ pro nomine, *propter neglectionem*. Nam licet congruè satis exponi videatur à plerisqve per adversativam, *Qvanqvam*, *qvamvis*, v. g. à Vatablo, Musc. Luth. aliisqve, desideratur tamen hujusce significationis probatio, seu locus similis. Hinc Dn. D. Glass. seipsum qvoqve corrigit, nec עַל adversativè, cujus significatûs nullum aliud dari posse exemplum asserit, ampliùs vult accipere, sed causaliter: in *Episagm.* olim ad lib. IV. phil. p. 824. 521. nunc in nova edit. p. 5. (379.) Cohæsio proindè erit hæc: omnia prædicta, mors piacularis, sepultura honesta &c. proveniunt ex eo, qvòd Messias est innocentissimus, &c. ita Glassius l. c. vel juxta Rivetum: ideo exemtus est ab ignominia extrema, sepultus honorificentissimè, qvia non erat maleficus, sed justus, &c. prætereo Junium & Piscatorem, qvi causam reddi dicunt traditionis adeo hostilis Judæorum, *eò qvòd* invidebant huic justo viro tantam sanctitatem, &c. Nolumus verò in voce חמס *violentia aperta*, &c. esse copiosi, factum id jam ab aliis. v. *Tarn. ad Joel.* III. 19.

Amos I. II. III. 10. *Obad.* v. 1. *Jonæ* III. 8. sufficiat, hôc modô omnem à Messia removeri injustitiam operum, sicut phrasi seqvente, *neqve dolus in ore ejus*, omnis excluditur iniqvitas sermonum. Proindeqve illum, qvi neqve in verbo erravit, neqve etiam opere delinqvit, aliqvid supra communem hominum sortem. (1. Reg. VIII. 46.) habere peculiare, vel eum à peccatoribus esse segregatum sanctissimumqve necessum est: præcipuè si addas, consvetô Ebræis more, per negationem fortiter simul indigitari oppositum affirmatum, hôc sensu: non modò iniqvitate caruit omni, sed insuper etiam erga qvosvis fuit beneficentissimus verèqve candidus. De voce מרמה *fraus* vel *dolus*, qvô aliqvis positô velut offendiculô impellitur ad casum projiciturqve (à רמה *projecit*, & in Piel *decepit*, circumveniendo præcipitem dedit, ceu Germani nostri, einen übern Stock / der nemlich im Wege gleichsam liegt / und vom andern nicht vermercket wird / stossen.) vide inter cæteros etiam Försterum & Pagninum.

Vers. 10. §. XXX. At Jehova

volens conterere eum, morbô affecit eum.

§. XXX. Ebræa ſatis commodè vertit h. l. Piſcator, accipiens præfixum *Vav*, qvod aliàs copulat, adverſativè cum Luthero, Aber: qvod fecerat etiam *Junius:* licet Vulg. habeat *Et*, Vatablus *tamen*, Belgæ Doch. Significatum hunc *At*, latè probârunt Piſcator *in Indic. Ebr.* Glaſſius *in Phil. S.* Druſius *in moſchevec.* aliiqve. Proindeqve voculâ hâc occurritur ſcandalo vel objectioni tacitæ; ſi Meſſias omnium fuit ſanctiſſimus, cur ita ignominioſè cum impiis mortuus & ſepultus? Reſp. Pendet id omne ex ſancto Dei beneplacito, qvi nil ſtatuit temerè, ſed ipſam hanc innocentiam pro noxa omnium hominum voluit ſibi ſatisfacere. Vocem autem Jehova, de qva alii totas diſputationes atqve libros, (vide, ſi lubet, Flacium, p. II. cla. f. 626. Gerh. *exeg.* p. 617. (219. 225. ſ.) Walth. in *Spicileg.* Crineſii Babel p. 104. Exc. Dorſchei *pentad. diſ.* II. §. 21. ſ. p. 81. ſ. & d. XII. §. 3. Ant. Margaritæ Judæi converſi, olimqve in Prof. Ebræa hîc Lipſiæ mei anteceſſoris *Judaiſm. p. m.* 203. item Druſii *tetagr.* Füller. l. II. *miſc.* c. VI. & l.

& l. IV. c. XIII. & XIV. & Appendic. p. 193. Sixt. Amamæ *Antib.* l. II. p. 265. 473. seq. Alstedii *Lexic. theol.* &c.) sumi h. l. personaliter pro Deo Patre, pleriqve nostratium hîc annotant: De qvo ipso ennunciatur, qvòd *voluerit Christum conterere morbôqve afficere.* In voce חפץ Conf. §.
qvæ tam verbaliter significat *voluit*, XXXVI.
qvàm participialiter, *volens*, qvandoqve solet includi intima qvædam dilectio seu unionis affectus, qvalis est sponsi ad sponsam, *Genes.* XXXIV. 19. atqve sic plerumqve amoris objectum mox additur, notatum præfixô Beth; qvandoqve tamen voluntatem designat absolutè, præcipuè si construatur cum alio verbo infinito, seclusô illô amoris seu unionis affectu; ut qvando Deus חפץ *volebat* occidere, 1 *Sam.* II. 25. *Jud.* XIII. 23. sic *Ezech.* XVIII. 32. non אחפץ *volo* mortem peccatoris, &c. Atqve talem qvoqve seriam Dei voluntatem seu intimum beneplacitum designat & h. l. juxta qvòd Messias non fortuitò, non suâ culpâ vel delictorum causâ, sed τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτος, manibus impiorum fuit interfectus, Act. II. 23. nam aliàs impossibile fuisset, vel mini-

mam ipsi inferri molestiam, *Matth.* xxvi. 55. *Joh.* xix. 11. Alvarez confert hoc beneplacitum cum *Joh.* iii. 16. sic Deus dilexit mundum; ut utrobiqve excludatur omnis necessitas, qvòd non coactè id Deus fecerit, vel ac si aliter facere non potuerit; item ut removeatur ex parte Christi passiones depellendi impotentia & ex parte hominum meritum, &c. nam solùm hîc adest Dei beneplacitum & gratuitus favor, non decet alias investigare causas, sufficiat Deum *voluisse*, (v. Osiand. notas:) Argutias, qvas nobis opponit ex hac voce Abarbenel, ac si ejus rei, qvæ ita placet, ignoretur finis, nos autem ex hypothesi scire beneplaciti hujus finem, &c. satis redarguit *L'Empereur* pag. 307.

§. XXXI. Tendimus ad vocem דכאו *conterere ipsum:* qvam Chaldæus atqve LXX exprimunt per דכאה & *καθαρίσαι*, *mundare*, non decepti circa lectionem, ac si adesset זכרו juxta Musculum, vel נכאו juxta Corn. à Lap. sed respectu habitô ad usum verbi דכא apud Chaldæos, ubi significat *mundum, nitidum esse*, ex ebr. זכה mutatô ז in ד & ה in א pro more. Hanc namqve significatuum

in

in Ebraismo & Chaldæismo permutationem, etiam alibi seduxisse LXX. ostenditur à Criticis: vide de hoc ipso *Barth. Majerum* b. m. part. 1. philol. p. 392. & de Græcorum super hac versione sententiis *Rivetum com. Hos.* p. 464. & *Corn. à Lapide.* Nos ad proprietatem vocis ebrææ דכא, qvæ coincidit ob literarum eandem familiam cum דכה *attrivit, comminuit, & qvasi in mortario contudit,* ita namqve Nathan in Concord. exponit per שבר וכתישה *fractionem & contusionem*, (qvod posterius de contusione olivarum freqvens solet esse Thalmudistis) usurpaturqve v. g. de confractione pedibus facta, ubi qvis vas testaceum in minutos qv. pulvisculos nititur redigere, *Thren.* III. 34. de fracturâ brachii, *Job.* VI. 9. &c. sæpiùs verò metaphoricè transfertur ad afflictiones gravissimas, præter dolorem, etiam rei vel personæ contritæ devastationem atqve interitum afferentes, qvô in pulverem vel nihilum abire videntur; ut qvando nominatur cor contritum, *Psal.* LI. 19. *Jes.* LVII. 15. Ægyptus contrita, *Psal.* LXXXIX. 11. pauper in porta vel judicio contritus, *Prov.* XXII. 22. populus ab hostibus con-

Gejer. part. 1. comm. in Ps. LXXII. 4. p. 1437.

tritus, *Jes.* III. 15. *Ps.* XCIV. 5. &c. Sic itaqve Messias qvoqve Jes. LIII. 5. dicitur מדוכא *attritus propter iniqvitates nostras*, itemqve h. l. *attritus à Deo*, videlicet ut partim (α) severa Dei indicetur ira; non enim cum filio lusit, neqve ei pepercit, *Rom.* VIII. 32. sed percussit, *Zach.* XIII. 7. deseruit, *Matth.* XXVII. 46. &c. partim (β) dolorum Messiæ vehementia, ubi prælo qvasi videbatur subjectus, aut in mortario tusus, lege *Ps.* XXII. 2. 7. seq. partim (γ) hostium, iræ Dei inservientium, sævitia furiosusqve Messiam in nihilum redigendi conatus.

§. XXXII. Supereſt ex prima hac periodo החלי *ægrotare fecit*; ubi (1) ratione constructionis à plerisqve accipitur ut præteritum, *morbô affecit*, ceu reddunt Junius, Piscator: qvod ipsum deinde præteritum pro infinito positum, ex Ebræorum more, qvi infinitum resolvunt in præteritum &c. dicit *Ampl. Wellerus disp.* in h. l. p. 94. Vulgata verò & post eam Lutherus reddunt nominaliter *in infirmitate*, mit Kranckheit: verùm si intueor proximè præeuntem infinitivum, *conterere eum*, delabor eò, ut & *Hecheli*

 dicam

dicam infinitum, (qvippe τὸ Kateph segol non potest opponere grammaticus, si expendat החזיקי *apprehendere me*, Jer. XXXI. 32.) ante qvod suppleri potest *Vav* copulans, & à fine *Vav* affixum, ex præcedente resumendum, h. m. Dominus voluit conterere ipsum & morbô afficere *eum*; consentit Vatabli versio: *Dominus voluit ipsum infirmando atterere*; qvicqvid sit, sensui decedet parum. (2.) ratione interpretationis per verbum hoc non debet intelligi morbi cujusdam corporalis immissio, cujus nulla uspiam in N. T. historia deprehendimus vestigia, sed potiùs ingens virium per immissas passiones acerbissimas debilitatio, nec non dolorum per omnes, qvasi corporis partes, inqve ipsa anima perpessio: qvomodo hoc ipsum verbum reperitur Mich. VI. 13. *etiam ego ægrotare te faciam, percutiendo te, &c.* item suprà vers. 3. *expertus* חלי *ægritudinem, vel infirmitate notus seu celebris*, & vers. 4. *morbos nostros portavit*, h. e. passiones & infirmitates nobis debitas.

§ XXXIII. Cùm exposuerit se in sacrificium pro reatu anima ejus; Ita cum Pisc. rursus efferimus ebræa, ubi (1.)

non opus eſt, cum Alvarez prolixè diſputare, qvomodo conditionalis *Si* ſtare qveat, ubi tamen nulla incertitudinis vel dubii cauſa? qvi ipſe tandem huc revocat pactum Filii cum Patre, *ſi poſuerit ille animam, hic reddat Eccleſiam*; ut hâc ratione non contingentia eventûs, ſed conditio pacti ſit attendenda, (vide etiam L'Emper. p. 123.) ſimpliciter dicimus, אם eſſe adverbium temporis, *cùm, poſtqvam*, ut hâc ratione mortem Chriſti directè excipiat Eccleſiæ in orbe propagatio. Deinde (2.) ſeqvens verbum תשים non eſt tertia Maſcul. ad Meſſiam reſpiciens, qvomodo *Vulg. Vatab.* aliiqve reddunt; *ſi poſuerit animam ſuam*; neqve etiam ſecunda pluralis, qvomodo LXX prorſus alienè; ἐὰν δῶτε περὶ ἁμαρτίας τὴν ψυχὴν ὑμῶν, *ſi dederitis pro peccato animam veſtram*; (de qvibus Procopius fol. 605.) ſed tertia fœm. ſingul. תשים *ponet*, relata ad נפש *animam*, hôc ſenſu reciprocô, ſi *dederit* ſeſe *anima ejus* &c. qvomodo interpretatur Kimchi, item Alſchich. (*apud L'Emper.* p. 268.) Muſculus, Tarnov. Wellerus, L'Empereur p. 122. Oecolamp. aliiqve. Suppleri itaqve ad integritatem conſtructionis poſſet, עצמה

ſe-

seipsam, ceu prædicti faciunt Judæi? num verò satisfaciat L'Empereur exemplô suô ex Ps. CIX. 31. adductô, dispiciant alii. Qvoad (3.) integram phrasin *Ponere animam suam*, est spontè ac deliberatò vitam suam vel seipsum ad aliqvod negotium offerre aut exponere: ut hâc ratione elegans sit consecutio, inter deliberatam Patris percussionem, (*voluit eum percutere*) & inter spontaneam Filii obedientiam & sui ipsius oblationem, ne suspicari qvis debeat, Patrem voluisse conterere invitum. Alvarez hoc *Ponere* explicat per Separare, ita tamen ut resumas, qvomodo v. g. vestis ponitur, sed ut resumatur; ita & animam suam ait, Messiam posuisse, sed ut resumeret, *Joh.* x. 17. Verùm cùm non nuda Christi anima, sed totus Christus, animâ & corpore nobis similis, factus sit piacularis victima, *Gal.* II. 20. *Ebr.* x. 8.9. potiùs per *animam* h. l. synecdochicè intelligimus integram personam animatam, usu receptô tam in sacris, ceu probat latè Exc. Glassius l. v. Phil. c. XVII. p. 459. (1379.) qvàm apud *Rabbinos*, ubi pro reciprocis pronominibus solent adhibere communiter נפש vel עצם, v. g. נפשי

ego ipse feci, &c. Hunc synecdochicum sensum approbat inter cæteros etiam, *Rivetus*, licet non repudiet alterum metonymicum, ubi anima ponitur pro vita, qvod placuit *Haymoni, Luthero*, aliisqve: qvorsum pertinet illud *Joh*. X. 15. de pastore bono, animam ponente pro ovibus. Nos properamus (4.) ad אשם qvod sumi solet tam pro *delicto*, qvàm pro *victima delictum expiante*; de qva Exod. XXIX. 14. *Lev*. V. 1. 6. seq. item apud *Majmon*. in nobilissimo opere *Jad Chasaka* p. art. 111. fol. mihi 219. c. IX. *Maaschakkorbanoth*. Vides ergo hîc dari caussam, cur Pater amantissimus adeo voluit conterere Filium, nempe, qvia sponte sepsum obtulerat piacularem victimam, totius humani generis peccata, & cum his etiam divinam iram promeritasqve pœnas, in se derivantem, ita ut *peccatum ignorans, pro nobis ἁμαρτία fuerit factus, ut nos fieremus justitia Dei in ipso*. 2. Cor. V. 21. imò factus est κατάρα *Gal*. III. 13. ut nos ex maledictione liberaremur. *Confer Rom*. VIII. 3. *Ebr*. c. IX. & X. 1. Petr. II. 24. Vide etiam Försterum h. l. p. 715. qvi qvatuor victimæ hujus ponit privilegia (1.) qvòd expiârit pec-

cata totius mundi, 1.Joh.II.2.(2.) qvòd idem ſit προσφέρων καὶ ὁ προσφερόμενος, Eph. V. 2..(3.) qvòd ſit unicum ſemelqve abſolutum ſacrificium, (5.) conſummans ſanctificandos in æternum Ebr. X. 14. adi etiam *Rivetum* h. l.

§. XXXIV. Videbit ſemen.

Planum eſt utrumqve, tum qvid *videre*, nempe per ſenſum viſus vel oculos aliqvid præſens cognoſcere: tum qvid *Semen*, nempe id propriè, in qvo per continuatum tempus propagatur & conſervatur ſpècies. Ubi tamen qvoad verbum *videndi* adhuc obſerva, eidem eleganter includi Meſſiæ è terra viv. exciſi reſurrectionem: num enim videre diceres eum, v. g. Cæſarem ſuos poſteros, qvi tamen mortuus adhuc cubat in ſepulcro? Deinde videre h. l. itidem qvoqve involvit acqviſitionem, præviâ morte expiatoriâ factam, ut ſenſus ſit: *Videbit* ſemen, h. e. vivus ſuam ſibi colliget gubernabitqve Eccleſiam, poſteros ſuos intuebitur per multas generationes, (qvæ aliàs parentum felicitas non exigua,) videbit, juxta Hieron. Eccleſias in toto orbe conſurgere. Qvoad alterum זרע *Semen* adde, illud h. l. uſurpari me-

 tony-

tonymicè pro posteris seu filiis spiritualibus, nempe per semen verbi & Spiritum Sanctum regenitis, 1. Pet. 1. 3. & 23. Joh. 1. 12. Parentemqve sanctissimum sanctâ etiam conformiqve vitâ referentibus. 1. Pet. 1. 15. atqve simul sanctam hancce speciem indivulsè continuantibus; qvomodo & alibi Semen appellantur filii hominum ex semine parentum sati, & qvomodo Semen serpentis appellantur illi, qvi ex venenato Serpente antiqvo suum habent ortum, ejusdemqvo simul referunt ingenium, &c. *Gen.* III. 15. Qvod ipsum dici qvoqve potest Abarbeneli, neganti semen accipi pro asseclis alicujus doctrinam complectentibus, qvales nos ait hôc locô intelligere: sed satisfactum ei abundè à sæpius citato L'Empereur. pag. 40. cujus responsa possunt qvoqve objici blasphemo Lippmanno, qvi p. 131. (edit. Haksp. interrogat, numnè Messias noster plures genuerit Deos; item ubinam תלמידים appellentur *Semen* &c. adi etiam Dn. D. Mülleri *Judais.* P. 339. nec non Galatinum l. v. *de Ar.* C. V. cap. XIII. Nobis sufficit, semen hoc esse eosdem, qvi & alibi Christi Fratres Ps. XXII. 23. & 31. mul-

multiqve appellantur Filii in gloriam adducti. Ebr. 11. 10. nimir. ad instar Isaaci, qvi morti ereptus Semen postea nactus est innumerabile, Ebr. XI. 17. seq. & qvomodo post granum emortuum solet propullulare semen copiosum, Joh. XII. 24. vel qvomodo mulier post superatos partus dolores cum gaudio intuetur semen seu sobolem, ita & CHRISTUS post superatas τὰς ὠδῖνας τȣ̃ θανάτȣ, *Act.* II. 24. ut proinde mors Christi ignominiosa adeò non absterruerit vel scandalizaverit asseclas, ut potiùs copiosissimum ei conciliarit semen, ad finem usqve seculi non cessaturum.

§. XXXV. Prolongabit dies; Dissensui h. l. ansam dedit Vulgatus, qvi ellipsin pron. אשר statuens, connexuit hæc cum antecedente זרע *Semen*, tanqvam ejus epitheton: *videbit semen longævum*, post qvem deinde pleriqve Papistarum; vid. *Alvarez*, *Corn. à Lap. Tirin* &c. item *Brentius*, sic & Vatablus *semen* (qvod) *proroget dies*; qvod ipsum etiam improbari adeo non potest, qvippe perennitatem Ecclesiæ contra persecutiones egregiè stabiliens. Rectiùs tamen ad eum censemus hoc referri, qvi modò redivi-

divivus *Semen* dicebatur *visurus*, nimnon instar regis mundani, qvantumvis decrepiti, sed tanqvam regis ad finem usque seculi longævi, ubi regnum demum hocce tradet Patri, 1. *Cor.* xv. 24. hujus namque regni vel subditorum præcipuè respectu dicitur longævus, cùm aliàs dici potiùs debuisset æternus, observante Mùsculô ad h. l. Atqve sic semini, qvod videbit, erit potissimum longævus, vel in ejus commodum ac defensionem dies prolongabit suos, postqvam videlicet novum, à mortuis excitatus, ingressus est vitæ genus. De LXX versione, qvam sauciam fatetur h. l. Alvarez, consule *Hieron. Cyrillum* & *Procopium*.

§. XXXVI. Et voluntas Domini prosperè cedet in manu ejus.

Vid. s. §. xxx. Nomen חפץ notat propriè *complacentiam vel delectationem*, super re aliqva vel præsente vel præterita, conceptam, v. g. qvalis circa sponsam. *Jes.* LXII. 4. & qvalis oblectatio in senio expirat. *Coh.* XII. 1. deinde accipitur etiam pro *Desiderio*, *conatu aut proposito* circa aliqvid futurum, v. g. 1. Reg. v. 8.

faciam,

faciam ego omne, חפצך *desiderium tuum*, vel qvicqvid modò desideras, conf. *Jes.* XLVIII. 14. XLIV. 28. 1. *Reg.* X. 13. &c. Diversô respectu utrumqve hîc videtur posse conjungi; qvippe cùm Deo nihil sit futurum, sed omnia, etiam ratione nostri adhuc futura, ipsi jam sint præsentia, sensus erit: Voluntas Dei benevola, Beneplacitum Dei, sive decretum, qvod ante jacta mundi fundamenta fecit de reconciliatione mundi secum instauranda per Christum, & de collectione Ecclesiæ ex omni natione sub cœlo ejusdemque gubernatione, unô verbô, qvicqvid placuerit Deo de nostra salute, id omne per Christum prosperè ac unicè expedietur. Adeoque sub liberali hac Dei voluntate comprehenditur tam salutis acqvisitio, qvàm acqvisitæ per verbum & sacramenta in Ecclesia militante, & per bonum cœlestium præsentem usum in triumphante applicatio. Vide de hac voluntate *Joh.* III. 16. IV. 34. VI. 43. 1. *Tim.* II. 4. 2. *Pet.* III. 9.

§. XXXVII. Hæc voluntas יצלח *succedet prosperè*, hoc est, omnia mundi Satanæqve obstacula feliciter superabit, ita ut eventus optatus seqvatur conatum.

Nam

Gejer. part. 1. comm. in Psalm. 1. 3. p. 11. f. & in Pf. xlv. 5. p. 882.

Nam צלח significat (1.) *Procedere absque impedimento*, qvomodo comites regii צלחו *transibant* Jordanem. 2. Sam. xix. 18. qvomodo via succedit, Jerem. xii. 1. & qvomodo aliqvis progreditur ad regnum, *Ezech.* xvi. 13. sic sæpiùs de spiritu Domini super aliqvem sine mora vel obstaculo qvasi irruente, eumqve invadente, *Jud.* xiv. 6. 19. 1. *Sam.* x. 10. XI. 6. &c. (2.) omissâ transitione vel motu solam designat prosperitatem, obstacula superantem, qvando aliqvid sibi rectè constans proficuum qvoqve est aliis, v.g. qvando de cingulo, qvod non *prodest*, *Jer.* xiii. 7. 10. de viro, qvi non *prodest*, aut juxta priorem sensum, qvi non prosperè succedit, *Jer.* xxii. 30. de vase non *proficuo*. Jes. liv. 17. &c. usurpatur. Plura de hac radice suggeret *Schindl. Weller.* pag. 102. Includitur ergo hâc voce felix Evangelii per orbem propagatio, ceu Petrus unâ concione 3000. animas feliciter expugnavit. *Act.* 11. 41. & qvomodo Paulus hoc ipsum de Beneplacito Dei verbum in Illyricum usqve promovit, *Rom.* xv. 19. item Apostoli reliqvi ac Doctores sancti. Includitur etiam duratio illius propagationis, gubernatio

Ec-

Ecclesiæ, Doctorum largitio, &c. *Eph.* IV. 11. seq. idqve omne dicitur expedire בידו *per manum ejus*, Messiæ, h. e. per ejusdem ministerium, meritum, potentiam, providentiam ac benedictionem, ita ut ipsemet nobis sit sapientia, &c. 1. *Cor.* 1. 30. ut nos in Christo & per Christum placeamus Patri, *Jes.* XLII. 1. *Marc.* 1. 11. *Luc.* III. 22. 2. *Pet.* 1. 17. ut ipse sit Propheta, Sacerdos & Rex noster, &c. Adeoqve sicut Pharao omnia regni munia *per manum*, (i. e. ministerium vel curam, id enim phrasis hæc vult, interprete Falciô, p. 1. *Clav. fol.* 629. & *Glassiô* l. v. *Philol.* p. 343. &c.) Josephi expediebat; Ita & Deus Pater per Filium ad dextram sedentem. 1. Cor. XV. v. 27. Latet hîc etiam tacita oppositio Mosis, *per cujus manum* Lex data, Lev. VIII. 36. Num. XXXVI. 13. Actor. VII. 53. Gal. III. 19. Ebr. II. 2. & CHRISTI, per qvem gratia & veritas facta, Joh. I. v. 17.

III. ANALYSIS LOGICA.

§. XXXVIII. Postqvam prolixè hactenus Propheta descripsit Messiæ passiones,

nes, nunc v. 8. incipit ad alium ejus digredi ſtatum, nempe Exaltationis, ita tamen ut ſubinde de paſſionibus earumqve cauſis, ob ſummam videlicet rei dignitatem, ſemper oculis calamoqve adhuc obverſantem, aliqvid inſpergat. Proponit itaqve huncce novum Meſſiæ ſtatum I. *proleptice*, & qvidem tam (α) privativè, ratione finitorum dolorum, qvando dicit: Meſſias *ex anguſtia & judicio eſt abreptus:* qvàm (β) poſitivè, ratione ſubſecuti effectûs: Meſſias è paſſione ac morte liberatus, innumeram vel *ineffabilem habebit poſteritatem*; hoc eſt, Eccleſiam ampliſſimam & nunqvam interituram: hunc enim ſenſum interrogatio emphaticè involvit. II. *Particulatim*; reſumendo tamen ex ſtatu exinanitionis, tum mortem, tum ſepulturam; cui ſubjungit demum glorioſum Meſſiæ reviviſcentis regnum. Et qvidem (1.) *mortem* deſcribit, ut (α) cauſam ſanctæ hujus filiationis meritoriam, ob vocabulum כִּי *qvia* q. d. ideo poſteritas Meſſiæ erit ineffabilis, qvia mors ejus non eſt mors communis, nec criminibus propriis promerita, ſed mors piacularis, ob aliorum prævaricationem tolerata: vel ſi generationis ſal-

ſaltem attendis multitudinem, dicendum eſſet voculam כי eſſe ſaltem ordinis, ceu διὸ Phil. II: 9. de qvo loco *Glaſſius* l. IV. Phil. p.m. 593. (631. al. 834.) (β) ut violentam; ex voce נגזר *abſciſſus eſt*, tanqvam arbor vitæ, in ætate adhuc florida, non ex ſenili abſumtione vel virium defectu, ſed ſecuri qvaſi, crucis videlicet ſuppliciô: (γ) ut veram; qvòd non ſimulata fuerit mors vel phantaſtica, ſed realis ex hac *viventium terra* remotio, ita ùt non ampliùs fuerit חי *vivens*, ob animam à corpore ſeparatam: (δ) ut innocentem & ſimul expiatoriam; qvia ob *prævaricationem* non ſuam, ſed *populi* fuit tolerata, & qvidem eâ fine, ut prævaricatio hæc expiaretur tali אשם *ſacrificiô piaculari*, ceu dicitur v. 10. (ε) ut crudelem, ſeu horribili נגע *plagâ* vel cruciatuum mole ſtipatam v. 8. (2.) morti ſubjungit *ſepulturam*, ceu immediatè cum ea cohærentem; unde etiam copulâ *Vav* hic verſus 9. annectitur præcedenti. Hæc ipſa verò ſepultura deſcribitur rurſus (a) ut à Deo deſtinata: *dedit*, nempe DEUS peccatum omnium noſtrûm ipſi imponens, v. 6. ex anguſtia eripiens, nec non ob populi ſui prævaricationem percutiens,

v. 8. *(b)* ut primâ fronte despecta, qvia *cum impiis* latronibus, eôdem tempore, eôdemqve fermè locô (nam vicinus Calvariæ erat hortus,) imò tanqvam ipse impius seductor seipsum à morte salvare non valens, fuit humatus; *(c)* ut tamen simul honesta; qvippe non citra miraculum per *Divitem* curata, ubi *cum divite*, vel in Divitis manu ac sepulcro, divite etiam apparatu, *instar Divitis* compositum jacuit hocce sanctum corpus. (Si cui placeat Brentii, Welleri atqve Glassii interpretatio, qvam & mihi præ cæteris omnibus placere fateor, si deferenda esset ultima superiùs à me adducta, diceret, sepulturam hanc Messiæ proponi ut summè salutarem, ubi *in sepulcrum dedit* vel recondidit omnes *impietates*, *inqve mortem suam* dederit *divitias* longè maximas; vide §. XXIV. & XXVI.) *(d)* ut vera, qvalis *post mortem* solet aliàs institui: *(e)* ut innocenti exhibita; q. d. propterea tam honestè atqve splendidè, non citra miraculum, per divitem Senatorem debuit curari hocce funus, ut vel hôc modô contra reliqvorum Senatorum conclusum, extaret innocentiæ testimonium: vel (respectu habitô ad cuncta

præcedentia) propterea ereptus è judicio, propterea posteritatem habebit, propterea instar impii, imò & instar divitis tumulabitur, qvia tum ratione sui est *innocens in factis & verbis* v. 9. tum ratione Dei, qvi innocentem hunc consultò *voluit percutere ac punire* ob delicta videlicet aliorum, his ipsis insontis doloribus ac ignominiâ expianda.

Sepulturam excipit deniqve *Exaltatio*, seu felicitas, ad qvam per passiones ac mortem debuit intrare, *Luc.* XXIV. 26. ubi tamen repetitur rursus superiorum omnium nunqvam satis inculcata causa, qvod scilicet *animæ hæc positio*, vel sui ipsius oblatio fuerit אשם *sacrificium*, pro expiandis mundi criminibus, Joh. I. 29. Hanc ipsam ergo subsecuta est (א) resurrectio, qvæ colligitur satis ex verbo *videndi, dies prolongandi*, &c. (ב) Ecclesiæ collectio; *Semen* enim seu filios nanciscetur copiosos, continuos, (ג) perennis ejusdem Ecclesiæ gubernatio, qvippe *prolongabit dies*, vel vitam à morte denuo inchoatam, mors ipsi non dominabitur amplius: vita autem ea non erit otiosa, sed circa *beneplacitum Dei* (de hominibus videl. salvan-

dis) *feliciter expediendum* occupata, versu 10.

IV. EPILYSIS QVÆSTIONUM CONTROVERSARUM.

I. Qvisnam fuerit mortuus? an nudus homo?

Facilè hîc ex textu noſtro reſpondebimus, mortuum eſſe *Dei ſervum* Meſſiam. Qvis verò ille? dicemus porrò, Filius Dei vivi, ipſemet ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, ut qvi ex Patribus eſt ſecundùm carnem, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *Matth.* XVI. 16. 1. Joh. V. 20. Rom. IX. 5. Qvod ipſum qvoqve ſatis evincit opus Redemtionis, ſervo huic adſcriptum h. l. eundem videlicet plùs fuiſſe qvàm merum hominem, imò verò ipſum Jehovam juſtitiam noſtram, *Jer.* XXIII. 6. qvippe qvi aliàs non potuiſſet *aliorum ferre dolores*, ſeu pœnas aliorum peccatis debitas, & qvidem ita, ut toti populo exinde acqvireretur *pax conſcientiæ & per vulnera ſanitas*, qvi etiam pro aliorum delictis non potuiſſet ſe irato Deo *offerre*

piacularem victimam, qvi *notitiâ sui non potuisset alios justificare*, &c. Hæc enim omnia describunt opus infinitæ dignitatis ac valoris, satisfactionem sc. infinitæ Dei justitiæ, infinitorum dolorum ablationem, &c. Ergone, pergis, immortalis Deus est mortuus? Resp. ita omninò; *verè* enim (sunt verba F. Conc. p. m. 608.) *Filius Dei pro nobis est passus*, (addo & mortuus) *sed secundùm proprietatem humanæ naturæ: Hoc enim fateri te necesse est*, (iterum ait ex Luthero p. 771.) *hac persona (monstratô Christô) patitur, moritur; hac autem persona est verus Deus. Rectè igitur dicitur: Filius Dei patitur. Etsi enim una ipsius pars (ut sic loqvar) divinitas videlicet, non patiatur, tamen ea persona, qvæ Deus est, patitur in altera sua parte, nimirùm in humanitate.* Et p. 772. *nisi hæc vera sint: Deus mortuus est pro nobis: &, si solus homo pro nobis mortuus est: tum profectò prorsus actum fuerit de nobis. At verò, si Dei mors, &, qvòd Deus ipse mortuus est, in altera lance ponitur: tum ille deorsum fertur*, &c. Si verò ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς occisum legimus, *Act.* III. 15. item τὸν κύριον τῆς δόξης interemtum, I. *Cor.* II. 8. sic & *Act.* XX. 28. propriò sangvine

Deus Eccleſiam redimiſſe dicitur; item *Jeſa.* XLIII. 14. 24. Deum JEHOVAM in peccatis noſtris ſerviiſſe: & *Zach.* XII. 10. Jehovam confoſſum, &c. Abſit tamen nos hâc ratione cum Theopaſchitis vel Monophyſitis, Eutychianorum propagine qvadam, ſentire: Deum namqve dicimus paſſum & mortuum, verùm non formaliter, non ſubjectivè, ſed in propriiſſima ſua humanitate: & qvàm verè λόγος, factus eſt caro, tam verè etiam Deus eſt mortuus: nam cujus eſt caro, ejus etiam eſt paſſio & mors: jam λόγου eſt Caro; E. *paſſus* (verba ſunt Leonis I. Epiſt. x. ad Flac.) *non in natura divinæ proprietate, ſed in aſſumtæ humanæ naturæ infirmitate.* Sicut Paulus verè dicitur flagellatus, etiamſi flagella neqvaqvam ſenſerat ejus anima, ſed corpus: ita verè etiam Deus eſt mortuus, licet mortem non ſenſerit Deitas, ſed humana natura. Plura hanc in rem vide apud Gerhar. p. m. *exeg.* p. 1332. 1337. (ubi ad Patrum dicta addi etiam poteſt illud Ignatii ep. ad Tarſum p. m. 19. ut videam ſervatorem meum καὶ Θεὸν τὸν ὑπὲρ ἐμοῦ ἀποθανόντα) Feurbor. *faſc.* IV. p. 6. Dorſchei *admir. mortis* p. 280. ſ. 311. ſ. Menz. t. I. Giſſ. Diſp.

Disp. VII. §. 86. s. p. 291. & Disp. VIII. p. 297.

II. Qvomodo fuerit mortuus?

Resp. *verè*; ita ut *è terra viventium fuerit excisus*, neqve amplius naturaliter vivens, animâ sc. & corpore τοπικῶς ab invicem separatis, salvâ tamen interim manente unione personali cum utroqve. Hac de re latè egit *Feurbor.* κενωσιγρ. sect. III. c. XIII. p. 86. *seq.* ubi de mortis definitione, item contra Thummium de locali absentia animæ à corpore; &c. item *fasc.* IV. p. 57. *seq. Meisn. Christol.* p. 484. *Damasc.* l. III. *de Fid. Orth. cap.* XXVII. Num verò in hoc mortis triduo verus manserit homo, latè discussum à B. Meisnero *in qvæst. vexat.* & *in Christol.* p. 480. aliisqve.

III. Cur fuit mortuus?

Resp. *meritoriè*; non eqvidem sibi ipsi aliqvid hisce suis acqvirendo passionibus vel morte, ceu Papistæ id absurdè statuunt, refutati a B. Gerhar. t. II. *Conf. cathol.* p. 476. & Danhaw. χριστοσοφ. p. 118. aliisqve; sed nobis promerendo

placatum Patrem, peccata propter hanc innocui agni mortem piacularem nobis condonantem, in filios adoptantem, tandemqve beantem; hæc namqve causa est, cur *violentiâ dolôqve carens* ab ipsomet justo *Deo fuerit percussus*, nempe ut extaret hâc ratione אשם *sacrificium pro delictis*, vers. 10. & ut peccatô carens *prævaricationem aliorum* posset expiare, vers. 8. qvod ipsum contra Socinianos abundè hactenus probatum à diversis sectæ hujus impugnatoribus tam Pontificiis, qvàm Calvinianis ac Lutherano-Catholicis, *v. Grauerum* de satisf. *Zarnoverii* vind. pro satisf. contra Socin. Franzii *schol. sacr.* B. Höpfneri præceptoris nostri desideratissimi *disp. de satisf.* præter cæteras hæreseos hujus integræ refutationes, qvales sunt *Balduini, Meisneri, Jac. Martini, Stegmanni*, &c. item *D. Brochm.* t. I. LL. p. 864. seq.

IV. Pro qvibus fuerit mortuus? Distinctè hîc dicendum tum de subjecto liberando, tum de objecto expiando. *Illud* in textu nostro appellatur *populus Dei*, propter cujus prævaricationem moritur, item *Semen*, piaculari Sacrificiô

acqvirendum. Dubium proinde exurgit ratione Calvinianorum, num pro populo Dei vel electis tantùm sit mortuus Christus, & qvidem ex intentione vel de voluntate Dei, an verò pro impiis etiam ac damnatis? scimus, hoc apud eos qvandoqve admitti, ut sufficienter nimirum dicant Christum etiam pro his mortuum, si Deus vellet; sed Deum id voluisse deinde negant. Verùm uti unius positio non est alterius exclusio; ita nec hic populus Dei excludit reliqvum orbem, adeo expresse aliqvoties nominatum, *Joh.* I. 29. III. 16. 17. *Tit.* II. 11. *Rom.* V. 18. 19. 1. *Tim.* II. 4. *seq. Ebr.* II. 9. 2. *Cor.* V. 15. 19. 1. *Joh.* II. 2. Præsertim cùm & damnati ipsi ob hunc liberationis sibi acqvisitæ contemtum puniantur; *Joh.* III. 18. confer *Rom.* XIV. 15. 1. *Cor.* VIII. 11. *Ebr.* VI. 4. 5. 6. 2. *Petr.* II. 1. *Matth.* XXIII. 37. vide de hac qvæstione D. Æg. Hunn. t. 1. *Marp.* p. 172. D. Meisn. *anthrop. dec.* II. p. 73. Eckhar. tom. 11. Disp. *Giss.* Disp. X. §. 69. s. p. 347. Brochm. t. 1. LL. p. 593. Weller p. 1. Anti Massonii. p. 879.

Hoc, nempe objectum expiandum, non sunt peccatum originis tantùm, (ita

ut pro actualibus sit nobis satisfaciendum, (uti qvidam veterum Papistarum statuebant;) neqve etiam reatus peccati origin. & actualium, relictis pœnis temporalibus; nostrâ adhuc satisfactione luendis, qvomodo volunt Papistæ recentiores; (v. Gerh. t. III. LL. de *justif.* §. 54.) sed universa peccati colluvies seu moles ex prima Adami prævaricatione (פשע) cæterisqve cunctis cunctorum Adamigenarum delictis in unam qvasi massam conflata, qvomodo emphaticè in singulari Joh. I. 29. dicitur *agnum Dei tollere τὴν ἁμαρτίαν mundi*; h. e. juxta Maldon. comm. h. l. *genus omne peccatorum, aut qvicqvid est in mundo peccati: cùm Ebræi monente Lyranô singulari numerô totam rei naturam & ingentem copiam significent*; vel juxta Montacuc. p. 2. orig. eccl. f. 4. *non peccatum hujus aut illius electi specialiter &c. sed totam peccati colluviem:* Confer 1. *Joh.* I. 7. II. 2. *Rom.* VIII. I. V. 18. 19. *Tit.* II. 14. Et sanè nisi pro pœnis æqvè ac reatu satisfecisset hic Redemtor, non eqvidem ab execratione legis nos redemisse dici posset, *Gal.* III. 13. sed dimidius solummodò esset Redemtor.

Dices; ergo pro finali etiam satisfecit incredulitate?

Resp. Si satisfacere idem est, ac solvere pretium, ut non imputetur aliqvid ad damnationem, non sanè pro ea satisfecit Christus: sic enim salvarentur finaliter increduli, contra *Joh.* III. 36. imô expressa involveretur contradictio; Christum à salvandis debere fide apprehendi, & Christum non debere fide apprehendi à salvandis; vel incredulitatem finalem damnare, & incredulitatem finalem non damnare. Qvare sicut fides salvat non absolutè, ut qvalitas, sed respectivè, ut relatio; ita incredulitas qvoqve non damnat absolutè, ut vitium contra primum præceptum, pro qvo etiam Christus non minùs ac pro aliis peccatis satisfecit, sed σχετικῶς ceu non receptô mediô salutis, v. g. Panacea, si applicetur, prodest etiam contra delirium; ast si delirus finaliter respuat, non prodest: sic incredulitati qvoqve (νομικῶς sc. spectatæ) datum est remedium, Christi videlicet satisfactio, ast si incredulus pertinaciter excutiat, salvari ab hoc suo delirio neqvit. De hac materia olim B. Meisn. *in qvæst. vexat. aliiqve.*

V. Qvis

V. Qvis Messiam mortuum resuscitârit?

Supponimus hîc contra Ethnicos, Judæos, Cerinthum, Gnosticos aliosqve hujus furfuris errones (de qvibus Epiph. l. I. t. II. hær. XXVIII. August. l. *de hæres.* c. VIII. Tertull. aliiqve.) Messiam revixisse sine dubio.

Supponimus etiam ratione personæ resurgentis, revixisse eundem Leonem de tribu Juda, *Apoc.* V. 5. πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν c. I. 5. Col. I. 18. Dominum nostrum Jesum Christum, qvi & antea interfectus, *Rom.* I. 4. qvamvis non resurrexerit juxta utramqve naturam, ceu impegit Sohnius t. II. *exeg. Conf. Aug.* p. 246. 255. 262. eumqve secuti Herbornenses, (v. *Gerh.* t. II. disp. theol. p. 1509. *Meisn.* Christol. p. 533. *Feurbor.* fasc. IV. p. 55.) Id saltem hâc vice seqværimus; An Christus excitaverit semetipsum.

Ridenț hîc nos Photiniani, Patriqve soli id cum scripturis se tribuere prætendunt, allegantes, Rom. IV. 24. VIII. II. &c. vid. Crellium *de uno Deo*, p. 265.

Catech. Racov. p. 312. Socinum *disp. de unig. filii exist. contra Eras. Johannis* p. 117. Smalc. *divin. Christi* c. XIII. p. 84. Verùm utut Deum Patrem nos excludamus neqvaqvam, imò firmissimè etiam eundem resuscitantem asseramus, ob causas à B. Gerhardo latè adductas, l. c. p. 1486. interea tamen Christo ipsi gloriam hanc derogari patimur nullatenus, ob clara adeò dicta Joh. II. 19. *ego excitabo illud templum* (corporis) *solutum:* Joh. x. 18. *ego pono animam meam à me ipso*, &c. qvod ipsum facilius credes, si attendas, loqventem huncce Filium eadem operari similiter, qvæcunqve facit Pater, Joh. v. 19. eundemqve vivificare, qvos vult, qvomodo & Pater suscitat & vivificat mortuos, v. 21. eidem etiam datum esse, vitam habere ἐν ἑαυτῷ, qvomodo & Pater vitam habet ἐν ἑαυτῷ, v. 26. Interea ordinem personarum non confundimus. Patri siqvidem est propria hæc resuscitatio secundùm qvid, qvatenus sc. Pater Filium à se missum resuscitat virtute suâ divinâ, qvam à se habet & à nullo alio: Filius verò resuscitat se, etiam qvatenus homo est, & qvidem propriâ virtute divinâ, qvam

ut

ut λόγ☉ à Patre habet per æternam generationem, ut homo autem per unionem personalem. Prolixiùs de hac ipsâ qvæst. actum est à Socin̄iano qvodam *Melch. Schäfero* Freistad-Silesio in scripto germ. Anno 1637. Kurtzer Bericht auf die Frage: Ob der Herr Jesus / als er gestorben und todt gewesen / sich selbst von den Toden aufferwecket habe. Qvem refutavit itidem germanicè qvidam Lutheranus Anno 1638. nomen suum hisce literis J. A. C. designans.

Photinianis certâ ratione comites se qvoqve dant *Calviniani*, non minùs nasum crispantes ob dogma nostrum, qvô à resuscitatione, neqve humanam Christi naturam excludimus: ceu hoc improbat Polanus l. VI. *syntag.* c. XXIII. & *Catech. ubiq.* p. 114. velut insignem errorem taxat, qvod *Jac. Andreæ* scripserat, Christum secundùm human. nat. habere potestatem seipsum resuscitandi. Cui tamen respondit Rungius *in refutat. Catech.* p. 151. alliqve plures, Christum non resurrexisse ex virtute & facultate humanitatis suæ *naturali*, qvæ non nisi finita est; sed ex virtute infinita, suæ tamen humanitati per unionem hypostaticam

cam

cam verè communicata. Vide etiam assertionis hujus nostræ fundamenta, (1.) ex indissolubili humanæ naturæ cum λόγῳ unione idiomatumqve communione, (2.) ex Christi assertione, Joh. X. 17. (3.) ejusdem ad inferos descensione &c. apud B. Gerh. *part.* 11. *disp.* p. 1489. & Thum. *maj. Christi.* p. 132. 145. Lubet hîc adscribere verba Thomæ Aqvin. p. 3. qvæst. LIII. art. IV. *Per mortem non fuit separata Divinitas, nec ab anima Christi, nec ab ejus carne. Potest igitur tam anima Christi mortui qvàm ejus caro considerari dupliciter; (1.) ratione Deitatis, (2.) ratione naturæ creatæ. Secundùm igitur unita divinitatis virtutem & corpus resumsit animam, qvam deposuerat, & anima corpus resumsit, qvod dimiserat, &c. Si autem consideramus corpus & animam Christi mortui secundùm virtutem naturæ creatæ, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari à Deo.* Confer Lorinum *ad Act.* XIII. 30. & ad c. I. 3. & Corn. à Lap. *ad Act.* I. 2. Brochm. t. I. LL. p. 925.

IV. Qvæ

ut λόγ☉ à Patre habet per æternam generationem, ut homo autem per unionem personalem. Prolixiùs de hac ipsâ qvæst. actum est à Socmiano qvodam *Melch. Schäfero* Freistad-Silesio in scripto germ. Anno 1637. Kurtzer Bericht auf die Frage: Ob der Herr Jesus / als er gestorben und todt gewesen / sich selbst von den Toden aufferwecket habe. Qvem refutavit itidem germanicè qvidam Lutheranus Anno 1638. nomen suum hisce literis J. A. C. designans.

Photinianis certâ ratione comites se qvoqve dant *Calviniani*, non minus nasum crispantes ob dogma nostrum, qvô à resuscitatione, neqve humanam Christi naturam excludimus: ceu hoc improbat Polanus l. VI. *syntag.* c. XXIII. & *Catech. ubiq.* p. 114. velut insignem errorem taxat, qvod *Jac. Andreæ* scripserat, Christum secundùm human. nat. habere potestatem seipsum resuscitandi. Cui tamen respondit Rungius *in refutat. Catech.* p. 151. aliiqve plures, Christum non resurrexisse ex virtute & facultate humanitatis suæ *naturali*, qvæ non nisi finita est; sed ex virtute infinita, suæ tamen humanitati per unionem hypostati-

cam

cam verè communicata. Vide etiam assertionis hujus nostræ fundamenta, (1.) ex indissolubili humanæ naturæ cum λόγῳ unione idiomatumqve communione, (2.) ex Christi assertione, Joh. X. 17. (3.) ejusdem ad inferos descensione &c. apud B. Gerh. *part.* 11. *disp.* p. 1489. & Thum. *maj. Christi.* p. 132. 145. Lubet hîc adscribere verba Thomæ Aqvin. p. 3. qvæst. LIII. art. IV. *Per mortem non fuit separata Divinitas, nec ab anima Christi, nec ab ejus carne. Potest igitur tam anima Christi mortui quàm ejus caro considerari dupliciter; (1.) ratione Deitatis, (2.) ratione naturæ creatæ. Secundùm igitur unita divinitatis virtutem & corpus resumsit animam, qvam deposuerat, & anima corpus resumsit, qvod dimiserat, &c. Si autem consideramus corpus & animam Christi mortui secundùm virtutem naturæ creatæ, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari à Deo.* Confer Lorinum *ad Act.* XIII. 30. & ad c. I. 3. & Corn. à Lap. *ad Act.* I. 2. Brochm. t. I. LL. p. 925.

IV. Qvæ-

VI. Qvali corpore Meſſias reſurrexerit?

Reſp. eôdem, qvô fuerat ſepultus; licet non tali, infirmitatum ſc. reſpectu, qvibus non ampliùs ſubjiciebantur. Idem erat corpus ratione ſubſtantiæ, carnis & oſſium; licet non eſſet idem ratione qvalitatum. Dicimus hoc propter Photinianos, præcipuè Oſtorodum, qvi in Unterr. der vornehmſten Haupt-Puncten c. XLI. p. 388. nimis ineptit aſſerendo, Chriſtum non ampliùs habere carnem & ſangvinem, denn hätte Er noch Fleiſch und Blut / ſo hätte Er keinen Geiſtlichen Leib / &c. ubi etiam dictum 1. Cor. XV. 50. *caro & ſangvis non poſſid.* &c. malè ait exponi de carnaliter affectis, cùm accipi debeat von fleiſchlichen Cörpern oder Leibern. Ibid. p. 393. pergit, non poſſe demonſtrari, Chriſti corpus, qvod à mortuis reſurgens habuit, *fuiſſe immortale:* & licet fateatur Chriſtum non ampliùs decuiſſe mori, ſo folget doch aus dem nicht / daß Er ſchon einen unſterblichen Leib gehabt. Ad qvam abſurditatem ulteriùs detegendam, (nam nimis intricatus eſt l. c. Oſtorodus,) alii allegant Socinum *de ſtatu pri. hom.*

hom. ubi in dubium vocat Christum à mortuis excitatum membra omnia interiora, qvæ prius habuerat, retinuisse. Nos fidei simplicitate contenti acqviescimus in verbis Christi, Luc. xxiv. 39. ubi *carnem & ossa se habere* disertè inculcat, & qvidem eadem, qvæ anteà. Vide hac de qvæstione plura apud B. *Gerh.* part. 11. *disp.* p. 1505. Thum. *maj. Christi* p. 141. *seqq.*

Pertineret huc tractatio de reassumtione sangvinis effusi in venas vel vasa priora; Item de retentione stigmatum in corpore glorioso, &c. Verùm cùm neqve hæc neqve alia ob chartæ temporisqve angustiam liceat attingere, poterit de ista sangvinis reassumti materia pius lector evolvere Thummium l. c. p. 126. Meisn. *Christol.* p. 535. Gerh. l. c. p. 1507. 1511. Dorschei *vind. Exod.* p. 92. Fran. *Collii* l. v. *disp.* vii. c. vi. & *disp.* 1. c. iv. & v. Dominici de Dominicis Veneti *tr. de sangv. Christi A.* 1563. & disp. Romæ 1463. habitam inter Dominicanos & Franciscanos, *editam ab Ehingero:* De hac autem, cicatricum retentione latiùs olim Amplissimus Theologus Dn. Wilh. Lyserus *in prælect. super Jesa.*

LXIII. *qvæst.* III. Item B. Gerh. *harm. resurr.* p. 317. Förſt. *diſ.* v. in *Jeſa.* LIII. 9. cx. Chryſoſt. *hom.* LXXXV. *in Joh.* aliiqve.

VII. Cur Messias resurrexerit?

Sepoſitis jam multiplicibus Reſurrectionis tam fructibus, qvàm fine, & ꙋ & ꙍ (de qvibus B. Gerh. l. *ſæpiùs citatô* p. 1537. *ſeq.* Feurb. *Faſc.* IV. p. 78. *ſeq.* Danhaw. *Chriſoſto.* p. 320. &c.) Id præcipuè videtur dubium; an (1.) reſurrectio Chriſti ſit meritoria? Reſpondet B. Gerhardus l. c. p. 1559. ſi meritorium accipias *ſpecialiter*, pro eo qvod Chriſtus locô noſtri præſtitit, & nos præſtare tenebamur, non eſt meritoria, ita namqve in morte Chriſti planè jam erat ſatisfactum: ſi verò ſumas *generaliter*, pro omni eo qvod bonô noſtrô factum eſt, qvod ad noſtri coram Deo juſtificationem vel acqvirendam vel applicandam pertinet, eſt meritoria; adeoqve reſurrexit Chriſtus διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, *Rom.* IV. 25. ſcil. ut eam manifeſtaret, confirmaret, applicaret & actualiter à peccatis nos abſolveret. His adde Feurb. *faſc.* IV. p. 79. & Thum. *maj. Chriſti* p. 155.

Dein-

Deinde, an (2.) propter impios qvoqve resurrexerit Christus, ita ut ex ejus resurrectione fluat eorundem futura resurrectio? Resp. ad hoc nimis crassè Bucanus L. XXVI. qvæst. XIX. *electis tantùm* resurrexisse Christum: qvod tamen falsum, cùm ex seria Dei intentione Christus uti pro omnibus mortuus, ita in omnium qvoqve commodum resurrexerit, adeo ut & impii ad vitam resurgere potuissent, nisi semetipsos exclusissent. (Vid. Gerh. t. II. *dis. acad. p.* 1564. 1566. &c. *Feurb.* l. c. p. 67.) Si verò resurrectionem accipias, non ut est ad vitam, sed prout est antecedens exeqvendi adversus eos totos, animâ & corpore constantes, judicii punitivi, eatenus cum B. Gerh. (t. VIII. LL. de *resurr.* §. 56. *seq. &* t. II. *disp. Acad. pag.* 1561.) & plerisqve nostratium censemus, eam non acqvisitam esse à Christo, vel ex ejus resurrectione fluere, verùm ex justitia ac decreto Dei. Vide, qvæ in alteram sententiam dat Feurb. *fasc.* IV. p. 85. *seq.* prolixè; & Brochm. t. I. LL. p. 934. postmodumqve accommoda Danhaw. *Christos.* p. 308. seq.

V. USUS.

I. Didascalicus. §. 1. Messiæ *mors* est *vera*; excisus enim est è terra viventium; *Innocens*, qvia non violentiam vel dolum ullum commisit unqvam; ac propterea est Mors *salutaris*, ita ut hic sanctus agnus fiat אשם vel victima pro alienis, videlicet totius mundi peccatis; Rom. v. 10. Joh. i. 29. 1. Pet. i. 18. 19. iii. 18. Ebr. ii. 14. vii. 26. 27. est etiam *spontanea*, siqvidem ipse posuit animam; & nihilominus est etiam *divinitùs inflicta*, Deus siqvidem nostris peccatis adeo infensus ipsum ita *voluit percutere*, &c. est *efficax:* siqvidem Sol hic rubicundus occidens, insignem promittit serenitatem vel Ecclesiæ copiam; (juxta Acostam. f. 493. n. 104. in *Jona*) &c.

§. 2. *Sepultura* Messiæ est vaticiniorum de ea complementum; 1. Cor. xv. 4. veræ humanitatis, ut & veræ mortis documentum, partæ qvietis; sepulti obtectiqve peccati & sepeliendi etiam veteris Adami monimentum: *Rom.* vi. 4. *Jes.* lxvi. 23. *Ebr.* iv. 10.

§. 3. *Resurrectio* Messiæ erit *certa:* videre

dere enim semen vel posteritatem suam; prolongare dies; non competunt manenti in sepulcro: *Frugifera* ecclesiam namqve tam è gentibus qvàm Judæis colliget sibi hic redivivus amplissimam, inenarrabilem; cui erit pax, *Joh.* XX. 19. *Rom.* XIV. 17. fraternitas cum rege, *Col.* I. 18. *Joh.* XX. 17. gaudium, *Matth.* XXVIII. 9. spes viva, 1. *Pet.* I. 3. *Joh.* XIV. 19. 2. *Tim.* I. 10. erit *Majestatica*; angustiarum namqve omnium factus est semel finis, nunc verò prospera incipit Divini Beneplaciti propagatio, &c. nunc procedunt nuncii pacis per universum orbem, *Jes.* LII. 7.

II. ELENCHTICUS. §. 4. Abscissus est de terra viventium Adam secundus, ut veram vitam adipiscerentur omnes mortui in Adamo primo: *Roman.* V. 15. 1. *Cor.* XV. 21. 22. Contra particularitatem *Calvin.* Moriens Messias fuit אשם seu victima pro aliorum delictis: non ergo nudâ prædicatione vel doctrinæ per mortem confirmatione homines redemit; contra Photin. Messias expertus est מותים *mortes plures*; ideòqve sensit præter temporalem, etiam infernalem nobis debitam, Gen. II. 17. contra

Papistas. Contritus est ob nostra peccata Messias, eademqve ratione & culpæ & pœnæ bajulans perfectè abstulit: non ergo pro pœnis vel temporalibus vel æternis satisfaciendum restat nobis: contra *Eosdem.* Sepulcrum saxeum uti semel à Christo est desertum, manibusqve Arabum ac Turcarum vastantibus aliqvoties permissum, ita & nos meritò saxeis saxa, ut Indulgentiarum meritoria, relinqvimus, uniqve Christo regi, per *cujus solius manum* Dei voluntas expeditur, non verò Sanctorum ministeriis innitimur; contra *Eosdem.*

III. Pædeuticus. §. 5. Mortuô Christô commorere, qvotidie resecando suppullulantia hydræ intus in corde habitantis capita venenata; *Rom.* vi. 2. *Galat.* ii. 20. c. vi. 14. 2. *Cor.* v. 15. Adamum qvoqve veterem qvotidie supprimendo sepelito, ne vivat in te vegetus regnetqve, cujus causâ Christus mortuus; *Rom.* vi. 4. Sic sanè moriens qvotidie, (mortem videlicet & Christi & tuam, tam spiritualem, qvàm instantem temporalem, expendendo) non morieris, cùm morieris: juxta illud; *qvi moritur, anteqvam moritur, is non moritur, qvando mori-*


moritur. Sic etiam sanctum Christi, non verò serpentis *Semen*, naturam videlicet grani in terra demortui tuiqve in cœlis Patris referendo: sic namqve si animô gratô hostiam te rursus Deo obtuleris vivam, *Rom.* XII. 1. si in bonis operibus eris *dives* (instar Josephi, *Luc.* XXIII. 50. 1. *Tim.* VI. 18.) Christoqve cor tuum commodabis tanqvam dormitorium; svaviter aliqvando è tuo dormitorio reflorefces ad cœli Paradisum.

IV. EPANORTHOTICUS. §. 6. Pudeat tam severô Dei in peccata judiciô visô, fœtidum te in sanctis Dei angelorumqve oculis manere cadaver; pudeat peccatis peccantiumqve tyranno Satanæ te vivere cum tui tamen causâ mortuus sit hic sanctus servus. Pudeat, cor tuum esse templum Veneris aut Plutonis, qvod sanctum debeat esse sacellum Christi Regis: (vide Danh. χριστον. p. 251.) Pudeat in manibus tuis reperiri *violentiam*, in lingvâ *dolum*, qvod difformen planè te reddit Capiti tuo innocenti, 1. Pet. II. 24.

V. CONSOLATORIUS. §. 7. Christus ex angustiis ereptus, etiam te similia pa-

tientem eripiet compatiens, *Ebr.* II. 17. Christi innocentia, tua, ô credens, justitia, 1. *Pet.* III. 18. *Ebr.* VII. 26. Judicium mortemqve, tui causâ semel à Messia tolerata, ne extimescas: *Joh.* III. 18. c. V. 24. *Rom.* VIII. 1. 1. Cor. XV. 55. Sepulcrum ne timeas, qvod sanctô suô corpore sanctificat omnium sanctissimus: imò verò capitis hujus, qvod vivit sine fine, te membrum esse individuum, ac propterea in morte non relinqvendum, semper memento, *Johann.* XIV. vers. 19.

F I N I S.



בע״ה:

שבעים שבעים:

DE

COMPUTO SACRO LXX. HEBDOMADUM DANIELIS,

DISSERTATIO HISTORICO-CHRONOLOGICA,

Quam sub Præsidio

VIRI PRÆCLARISSIMI, EXCELLENTISSIMI

DN. ÆGIDII STRAUCHII,

S. S. Theol. Licent. Mathem. infer. P. P. & Histor. Substituti famigeratissimi,

Publicè Wittebergæ ventilandam proponit

PETRUS GöDTKENS,

Hamburgensis.

Die XVI. Maji. Annô M. DC. LX.

Q. D. B. V.

Qvamvis Scriptura Sacra in tradendis iis dogmatibus, qvæ ad ſalutem creditu neceſſaria ſunt, ut lux in tenebris intellectus noſtri, per lapſum excæcati, luceat, in iis tamen qvæ ſalutem non concernunt, & prophetiis imprimis, propriô & perſpicuô ſermonis idiomate, Viri θεόπνευστοι pariter & ubiqve uſi non ſunt, cùm DEO Scripturas ita temperare viſum fuerit, ut locis evidentioribus famem, obſcurioribus faſtidium detergeret. Atqve inter hæc obſcura vaticinia excellit myſticus ille LXX. Hebdomadum calculus, cujus Danielis cap. IX. fit mentio, tanta enim Angelicæ iſtius prædictionis difficultas eſt, ut vix duos invenias Chronologos, vel Interpretes, qvi ſecum invicem in explicatione præſentis loci Prophetici conveniant, qvin

potius


potius ingenii imbecillitatem penè multi Interpretes liberè fateantur. Non recensebo prolixè, uti Judæi, qvò eludant argumenta, qvæ adversus impietatem eorundem, ex hoc loco depromuntur, difficultatem ejus vehementer urgeant, qvâ exceptione R. Lusitanus in Colloqvio Mittelburg. usus est, ajens: Temerarium est interpretari Danielem; meam interpretationem pavescens insinuabo; & Celeberr. Dn. D. Müllerus in Judaismo suo cap. X. testatur, se aliqvoties Danielitico vaticinio Apellas hosce convincere conatum esse, eosdem verò hâc excusatione usos, Danielem nimis difficilem esse, respondere noluisse; Sed patrum potius qverimoniæ pensi habendæ sunt, ita enim Origenes Adamantius, Homil. XXIX. in Matth. qvâ caput XXIV. explicat, occasione verborum Christi: Cùm videritis abominationem desolationis, qvod scriptum est per Danielem Prophetam &c. *subjungit: Verè comprehen-*

hendere sermones Danielis nullius alterius est, nisi Spiritus Sancti, qvi fuit in Daniele, ut de Septimanis omnem manifestet sermonem & de abominatione desolationis dicta ab eo. Similiter Hieronymus qvando tomo V. Operum (Edit. Basil.) explicationem hujus vaticinii aggreditur, præmittit: Si Danieli dicitur; diligenter attende, ut audias & intelligas qvod vides: qvid nos facere oportet, qvorum oculi ignorantiæ tenebris & caligine vitiorum obcæcati sunt? Et paulò pòst, desperans qvasi de certitudine, subjungit: Scio de hac qvæstione ab eruditissimis viris variè disputatum: & unumqvemqve pro captu ingenii sui dixisse, qvod senserat. Qvia igitur periculosum est, de Magistrorum Ecclesiæ judicare sententiis & alterum præferre alteri, dicam, qvid unusqvisqve senserit, Lectoris arbitrio derelinqvens, cujus expositionem seqvi debeat. Qvod si itaqve tanti Patres explicaturi septuaginta hebdoma-

madum calculum in nodos difficiles se incidisse fassi sunt, qvid mirum alios qvoqve se extricare feliciter non potuisse. Cæterùm cùm & in hoc negotio verum sit, qvod aliàs dicitur δύσκολα τὰ καλὰ, placet nobis in præsenti de mystico isto temporis intervallo liberè philosophari, atqve eam exponere sententiam, qvam pro verissima habemus, recordantes dicti Scaligeri: Infinita res est Epochæ & intervalla temporum, sed in qva materia nulla justior venia sit, siqvidem nullius est, ut omnia nosse; sic omnia literis complecti. Sit itaqve.

THE-

THESIS I.



Er שָׁבֻעִים שִׁבְעִים *intelliguntur Septuaginta hebdomades annuæ, ſeu conſtantes è totidem annis, è qvot diebus conſtant hebdomades vulgares.*

§. 1. Hebdomas, qvam Ebræi à ſeptenario numero שָׁבוּעַ Chaldæi שְׁבוּעָתָא vocant, non unô eôdemqve ſenſu ab omnibus auctoribus & vaticinii Danielitici Interpretibus, accipi & explicari ſolet, cùm diverſa vocis hujus ſignificatio in ipſo Sacro codice obſervetur. Primùm enim in eodem freqventiſſima mentio fit, hebdomadis dierum, ſeu ſpatii dierum ſeptem, qvorum ultimô ſeu feriâ ſeptimâ, in memoriam qvietis divinæ, peractô creationis opere, ab operibus laborioſis Judæi abſtinere debebant, qvi freqventiſſimus vocabuli שָׁבוּעַ ſignificatus eſt, occurrens *Gen.* XXIX. 27. 28. *Ex.* XXXIV. *v.* 22. *Lev.* XII. 5. *Deut.* XVI. 9. & paſſim alibi, atqve à Sabbatho, cujus cauſâ cyclus hebdomadicus primitus inſtitutus eſt, hebdomades hæ שַׁבָּתוֹת vocantur *Lev.* XXIII. 16. qvod enim ibidem in textu Ebræo legi-

tur, מִמָּחֳרַת הַשַּׁבָּת הַשְּׁבִיעִת Chaldæus vertit: מִבָּתַר שְׁבוּעֲתָא שְׁבִיעֵתָא Itemqve qvod dicitur, שֶׁבַע שַׁבָּתוֹת תְּמִימֹת תִּהְיֶינָה: Chaldæus reddidit שְׁבַע שָׁבוּעִן שַׁלְמָן יְהֶוְיָן *Septem ſeptimanæ integræ erunt.*

§. 2. Præter hebdomades dierum decantatæ qvoqve ſunt hebdomades annorum, qvarum ſtructura hæc eſt, qvod locô diei annus integer in cenſum veniat. Meminit hujuſmodi Septimanarum Moſes *Levit.* XXV. 8. וְסָפַרְתָּ לְךָ שֶׁבַע שַׁבְּתֹת שָׁנִים שֶׁבַע שָׁנִים שֶׁבַע פְּעָמִים וְהָיוּ לְךָ יְמֵי שֶׁבַע שַׁבְּתֹת הַשָּׁנִים תֵּשַׁע וְאַרְבָּעִים שָׁנָה: *Et numerabis tibi ſeptem hebdomades annorum, ſeptem annos ſeptem vicibus & erunt tibi dies ſeptem Hebdomadum annorum, novem & qvadraginta anni.* Circa qvem locum mira oſcitantia *Cardinalis Bellarmini* obiter notanda venit: Is enim L. III. de Pont. Rom. c. VIII. obſervat, nullibi in univerſa Scriptura diem pro anno poni, & cùm huic hypotheſi obſtare videat, præſentem è Levitico citatum locum, reſpondet, hebdomadem qvidem annorum legi, & rectè ita dici, qvia hebdomada denominatur, à numero Septenario, Græcè, Latinè & Hebraicè; nam Ebræi dicunt שבוע &c. Diem autem pro anno nuſqvam legi, nec illud dici poſſe ideò, qvod dies non ſignificet numerum, ſed tem-

pus

pus lucis &c. At enim in Hebræo non eſt vox שביע ſed שבתת. Deinde utrumqve in citato loco dicitur, & hebdomadem annorum dari, & dies nonnunqvam pro annis poni, qvid enim clarius dici potuiſſet, qvàm illud: *Et erunt tibi DIES ſeptem hebdomadum annorum, qvadraginta novem ANNI.* Suſpicor autem anſam adverſus claram Scripturæ literam hoc negandi Bellarminum accepiſſe è Vulgata Verſione, in qva textus Hebræus non ad verbum redditur, ſed dierum nulla fit mentio, cùm legatur ibidem: *Numerabis tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, qvæ ſimul faciunt qvadraginta novem.*

§. 3. E duabus hiſce vocis Septimanæ acceptionibus utra in præſenti dicto Prophetico locum habeat, definire difficile non eſt; Qvia enim Angelus de re qvadam, diu pòſt futura, vaticinatur, per 70. hebdomades non vulgares dierum, ſed ſingulares annorum intelligi debent. Spatiô ſeptem hebdomadum reſtauranda dicitur civitas, qvod certè qvadraginta novem dierum ſpatiô, ſeu ſeptem dierum ſeptimanis fieri non potuit. Præterea eventus ipſe, qvi optimus vaticiniorum interpres eſt, ſatis edocuit, exitum mandati de reſtauranda civitate, adventum Meſſiæ,

excisionem ejusdem, deletionem peccati & addūctionem justitiæ, cum plenario & æterno urbis excidio, non sesqvianni spatiô accidisse; sed ab exitu mandati de restauranda urbe usqve ad ejus deletionem 490. annos interceptos esse, tantum proinde erit temporis spatium, qvod septuaginta hebdomadum nomine Angelus intellexit. E qvibus omnibus ad oculum apparet Septimanas Danieliticas annuas esse, neqvaqvam diurnas, seu hebdomadas singulas septem complecti annos, omnes autem spatium temporis, qvod antea nominabam, nempe 490. annos. Qvod adeo clarum est, ut Judæorum pleriqve fateantur 490. annos per septuaginta hebdomades intellexisse Angelum, qvamvis eosdem ratione termini à qvo & ad qvem, aliter atqve nos ordinent. Ita disertè *Menasseh ben Israël* scribit de Term. Vitæ p. 168: *Septuaginta autem illæ hebdomades Danielis faciunt 490. annos*; Ita *R. Isaac Abarbenel in* מעייני הישועה seu commentario in Danielem; ita *R. Joseph Jachias* in פירוש על דניאל R. Aben-Esra & alii.

§. 4. Parùm itaqve moramur recentiorum qvorundam Judæorum deliria, qvi non annuas, sed cyclicas hebdomades intelligendas esse volunt, seu per hebdomadem cyclum

Jobelæum qvadraginta novem annis abſolutum ſignificâſſe Prophetam blaterant, unde ſpatium 70. hebdomadum 3430. annos comprehenderit. Enimverò commentum hoc uſqve adeo abſurdum eſt, ut pleroſqve Apellas ejuſdem pudeat; Nullibi enim in univerſa Scriptura Hebdomas qvadraginta novem annos notat; neqve ſpatiô tot annorum templum ſecundum ſtetit, imò vix ſeptimam hujus temporis partem duravit, ut taceam eô tempore, qvô Judæi inſtaurare templum cœperunt, ſimul vaticinatos eſſe Prophetas de inſtante adventu Meſſiæ, ita enim Aggæi II. 7. legimus: *Dicit Dominus Exercituum; adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cœlum & terram & mare & aridam, & movebo omnes gentes: Et veniet DESIDERATUS cunctis gentibus & implebo domum iſtam gloriâ, dicit Dominus Exercituum.* Annon verò ſatis longinqvum & diuturnum tempus eſt, qvod 3430. annos complectitur? Sed nolumus in re clara otiô ulterius abuti.

§. 5. Neqve verò *Origenis Adamantii* de LXX. Hebdomadibus certior eſt ſententia; Ille enim Homilia XXIX. in Matthæum Septimanas Danieliticas dici putat, à ſeptem decadibus annorum, ita ut unaqvæqve Septimana comprehenderit ſeptuaginta annos,

omnes autem qvatuor millia & nongentos annos. Placet de hac re Origenis verba adscribere: *Arbitror septuaginta septimanas concisas super populum & super civitatem sanctam, ut consummetur peccatum; qvatuor millia nongentos esse annos, ab Adam usqve ad septuaginta annos, qvi fuerunt post dispensationem Christi. Consummatum est enim peccatum populi, propter qvod & à Deo est derelictus; & illorum qvidem peccatum signatum est; credentium autem injustitia est deleta, & post deletionem ejus adducta est in Christo vita æterna. Sed qvemadmodum Lex & Propheta usqve ad Johannem, qvi ostendit Christum: propterea puto dictum signare visionem & prophetiam. Nam qvemadmodum neqvaqvam sunt in Prophetis visiones post Johannem, ideo signata est visio & Prophetia. Signatâ autem visione & Prophetiâ unctus est unigenitus sanctus sanctorum Christus. Qvem Christum unctum cognoverunt Prophetæ & Daniel, & intellexerunt aliqvô modô ab exitu verbi qvando verbô Domini cœli firmati sunt &c.* Hactenus Origenes, cujus errores in hac explicatione commissi, si omnes recenseri & confutari deberent, præsentes paginæ non sufficerent. Qvis unqvam, ut de multis pauca dicam, in Scriptura S. deprehendit vestigia hujusmodi

com-

computi myſtici, qvò ſeptuaginta anni uni Septimanæ reſpondeant? Qvis dubitabit adverſus naturam vaticiniorum eſſe, referri in iiſdem præterita? Ubi in univerſa Scriptura exitus mandati de reſtaurandis Hieroſolymis idem eſt, qvod verbum Domini, qvô cœli firmati ſunt? Qvomodo probabitur inter creationem mundi & Chriſti diſpenſationem interceptos eſſe 4900. annos, cùm ex hiſtoricis & Chronologicis fundamentis demonſtrari poſſit Natalem mundi à Natali Chriſti, qvem Epocha Dionyſia exprimit, interceptos eſſe non niſi 3949. annos, cum tribus menſibus ferè? Contorta certè hæc omnia ſunt, & qvadrant hôc locô, qvæ de Origene aliàs circumferuntur: *Ubi Origenes bene, ibi nemo melius, ubi malè, ibidem nemo pejus.*

THESIS II.

Anni iſti 494. qvi per LXX. Hebdomades Danieliticas intelliguntur, non ſunt myſtici tales, qvales Hainlinus intelligit, ſupponens, eoſdem conſtitiſſe è ſeptem menſibus, qvorum qvilibet ſeptem hebdomadibus dierum abſolutus fuerit.

§. 1. Inter reliqva hujus ſeculi portenta commemorationem merentur, qvæ *Johannes Jacobus Hainlinus* Diœc. Adelb. in Ducatu Wûrtenb. Superint. in ratione temporum ſubducenda, excogitavit, ex Hebdomade creationis, veluti radice, in omnia ventura ſecula, geometricè progrediens, & menſes ſepties ſeptem ſeu 49. dierum, annos verò ſepties ſeptem hebdomadum, ſeu 343. dierum fingens. Atqve hujus computi myſtici ope putavit Auctor omnes difficultates, qvæ poſt Scaligeri labores in Rebus Chronologicis adhuc reſtant, ſolvi poſſe, imprimis verò per LXX. Hebdomades Danieliticas ſeu 490. annos, nullos alios, qvàm myſticos intelligendos eſſe, id eſt, ſpatium 168070. dierum; ſeu 460. annorum Julianorum, & 55. dierum. Qvod inventum Celeberrimo VIRO *Thomæ Lanſio* uſqve adeò placuit, ut in Præfatione ad Lectorem, qvâ Hainlini Solem Temporum ornavit, ſcribere non ſit veritus: *Qvamprimùm in rem præſentem ventum & myſtica illa nova CLAVIS ſacrorum temporum receſſus mirificâ facilitate recluſit omnes, atqve ſpecioſiſſimis nec paucis experimentis fidem fecit ſtabilem, firmamqve; purgatâ ita ſuſpicione & poſitô ſtupore, nullis ſanè verbis exprimere poſſum, qvantis exultaverim gaudiis, & qvantâ*

jucun-

jucunditate divinisqve ferè voluptatibus, fuerim perfusus. Gratulabar piissimo auctori, cui contigerit ista ἐξοχὴ sublimis & incomparabilis inventionis; gratulabar amœnissimæ & cultissimæ terrarum Ducatui Würtenbergiæ, cujus immortalem gloriam clarissimus civis, novô & nobilissimô auctariô cumulaturus: & demum gratulabar Reipublicæ Christianæ universæ, in qva novô hôc inventionis sidere refulgente, omnes in calculum ac rationes sacrorum temporum hucusqve grassati errores citò in nihilum ituri essent. Hactenus Lansius.

§. 2. Cæterùm qvæ auctor de Matheseos imperitis in Dedicatione ad Serenissimum Principem Eberhardum &c. ipsemet suspicatus est: *Mirabuntur*, ajens, *qvid mihi in mentem venerit, ut in tanta tamqve perturbata temporum Politicorum diversitate, novos menses 49. novosqve annos* 343. *dierum confinxerim, à nullo sidere cœlesti, qvæ qvidem ipsi agnoscant, dependentes; & proinde hæc omnia, de qvibus tot seculis ne qvidem per febrim ullus unqvam somniavit, tanqvam otiosi, veterum fastidientis, novitatisqve, avidi ingenii, inutiles ac futiles speculationes condemnabunt*; eadem de peritis Chronologis non minus expectare debuisset. Novitas certè, uti in qvalibet disciplina suspecta esse solet, ita in Chronologicis impri-

mis & Historicis negotiis perniciosa prorsus censetur. Nam cùm testimoniis fide dignis hîc omnia comprobanda sint, qvis ab assensu se non sustinebit, si ea, qvæ per febrim nullus unqvam somniavit, sine omni testimonio Sacro & profano, tanqvam è tripode dicta, proferantur. Annon ridiculum est, ea in qvæ planè fortuitò incidimus, (uti Auctor in Vindiciis de seipso fatetur) pro mysterio habere & fundamento omnis Chronologicæ certitudinis? Sed non urgebo in præsenti argumenta generalia, qvæ adversus mysticum Hainlini computum alibi allegavi, hoc unum addo, triginta annorum neglectum, qvibus LXX. Hebdomades Hainlinus mulctat, intolerabilem esse, cùm eâ ratione nullô prorsus modô verba Angeli sibi constare possent, neqve enim spatiô 46. annorum Julianorum, qvot per septem hebdomades Hierophanta intelligit, civitas ædificata est, neqve post 460. annos à Secundo anno Darii Nothi, à qvo nobiscum Septimanas Angelicas Hainlinus auspicatur, destructio templi accidit, neqve cætera qvæ in Supputatione Danielis leguntur, cum Hainlinianis hypothesibus conciliari poterunt.

THE-

THESIS III.

Anni 490. qvot per LXX. Hebdomades intelligendas esse diximus non sunt merè Lunares, sed Lunæ-Solares, qvi aliqvando cum Julianis annis paria possunt facere.

§. 1. Etsi cujusvis stellæ ad pristinum locum reditus à qvo digressus erat, annus ejusdem dici qveat, unde *Macrobius* L. II. in Somn. Scipionis cap. XI. *Annus*, inqvit, *non is solus est, qvem nunc communis omnium usus appellat: sed singulorum, seu Luminum seu Stellarum, emensô omni cœli circuitu, à certo loco, in eundem locum reditus, annus suus est*; imprimis tamen ad Luminaria in annis Astronomicè determinandis respici solet. Qvamobrem annus alius vocatur Solaris, qvem determinat Solis in proprio orbe revolutio, cujusmodi annô è præscripto Julii Cæsaris hodie utimur, alius Lunaris, duodecim Lunationibus, seu mensibus absolutus, qvalem Turcæ & Arabes usurpant; alius deniqve Lunæ-Solaris, in cujus ordinatione ad utriusqve Luminaris motum respicitur, ita qvidem,

ut mensium Neomenias Luna, suô cum Sole concursû, indicet, tempestates verò easdem menses iidem perpetuo à Solis habitudine habeant; qvale Kalendarium est, qvô Judæi utuntur, dum convenienti mensis Embolimæi, seu decimi tertii, intercalatione defectum anni Lunaris communis, 354. diebus absoluti, compensant.

§. 2. Qvod si itaqve de annorum, qvos Gabriel nominat, dispositione qværatur, certum est nullos alios, qvàm qvos ultimò nominavimus, intelligi posse. Qvamvis enim Patriachæ annô Solari videantur usi, cùm menses qvinqve continui in anno diluvii pleni fuerint, posteà tamen Judæi aliam anni formam in fastis suis signandis usurparunt, qvæ nulla alia, qvàm Lunæ-Solaris fuit. Atqve hanc ipsam esse normam temporis, ab Angelo indicati, tam clarum putamus, qvàm qvod clarissimum. Primò enim nullum Lunaris anni vestigium hîc præsto esse, ipsissima Angeli verba satis edocent; Secundò, annus Lunaris ad Sacra Judæorum ineptus fuit, cùm festum Paschatos, præcipuæ apud Judæos dignitatis, & æqvinoctium & Plenilunium pro charactere habuerit, qvorum illud in anno Lunari per omnes menses vagatur, cùm Pascha Judaicum mensi Nisan perpetuò affixum

 fuerit,

fuerit. Tertiò anni Lunares minores ſunt annis Solaribus 11. diebus, qvi defectus ſpatiô 490. annorum, ultra qvatuordecim annos importat, ut adeò in textu Prophetico intelligerentur 475. anni Solares circiter. At à ſecundo anno Darii Nothi, uſqve ad annum Excidii templi poſterioris, intercepti ſunt, non 475. ſed 490. anni. Oportet itaqve hebdomades Danieliticas non Lunarem, ſed Solarem computum ſuppoſuiſſe.

§. 3. Qvamvis autem ea, qvæ diſputavimus hucuſqve ſatis clara videantur, obortæ nihilominus ſunt de forma annorum 490. diſſenſiones qvædam, qvarum meminit *Hieronymus* Oper. tom. V. Editionis Baſileenſis. Scilicet *Julius Africanus*, qvi primus inter Chriſtianos Chronologiæ fontes recluſit, ac πεντάβιβλον χρονολογικὴν ſcripſit, ex qva integras etiam paginas in ſuum Chronicon tranſſcripſit Euſebius, teſtibus *Scaligerô & Gerardô Joanne Voſſiô*, Africanus, inqvam, & poſt eum *Theodoretus* in IX. Daniel, *Beda* aliiqve tradiderunt, intelligi h. l. annos Lunares qvadringentos nonaginta, qvi faciant annos Solares qvadringentos ſeptuaginta qvinqve. Atqve hæc ſententia Patronos nacta eſt penè multos, teſtatur enim in h. l. *Dionyſius Carthuſianus*, cujus ætatem ad annum Chriſti 1450.

Rob. Bellarminus refert, approbari eandem in Scholastica historia, Glossa item ordinaria, ab Alberto Magno, & communiter à Doctoribus Ecclesiæ, Bedam seqventibus, unde ipse Carthusianus adversus Anonymum qvendam eam defendit, & *Benedictus Pererius* hanc ipsam opinionem neqvaqvam improbandam esse contendit.

§. 4. Cæterùm imposuit hisce Interpretibus imprimis vocula נֶחְתַּךְ qvam non tantùm vulgatæ versionis auctor reddidit *abbreviatæ sunt*, sed jam olim, *Tertulliani* tempore, similis versio extitisse videtur: ita enim is in Libro adversus Judæos, Capite de Passione Christi & vastatione Hierusalem verba Angeli adducit: *LXX. Hebdomadæ breviatæ sunt super plebem tuam, & super civitatem sanctam, qvoad usqve inveteretur delictum & signentur peccata, & exorentur justitia & inducatur justitia æterna &c.* Persuasi itaqve fuerunt Interpretes, ob vocem נחתך non annos communes, sed breviores usualibus intelligendos esse; qvô sensû Carthusianus commentatur: *Dicuntur hebdomadæ istæ abbreviatæ non numerô, qvod pauciores sint, sed qvantitate, qvia annus Lunaris brevior est Solari, undecim diebus.* At enimverò non assecuti videntur hujus explicationis auctores emphasin

& sco-

& ſcopum verborum Spir. S. Qvamvis enim vocabulum נחתך in codice Sacro non amplius occurrat, atqve ideo Maſorethæ ſuum ל addiderint, qvod valet לית *Non* ſcilicet *legitur, extat, vel reperitur alias*, unde unô modô colligendi ſignificatum vocis & collatione plurium locorum hîc deſtituimur, qvamvis item conjugata radicis hujus à ſecando ſignificationem ſuam habeant, nam voces חתך: חתיכה חתוך *inciſionem, exciſionem, ſegmentum* ſignificant, textus tamen συνάφεια magis ſuadet, vocem נחתך determinandi ſignificationem habere, ſeu præciſum & certum temporis intervallum indicandi, cùm hic ſcopus fuerit angelici vaticinii, unde rectiſſimè *B. Lutherus* vertit; Siebenzig Wochen seynd bestimmet ꝛc. *Vatablus & Junius* deciſæ ſunt: nec abnuunt prorſus Græci, qvi reddiderunt *συνετμήθησαν*, qvamvis enim hæc vox reddi poſſet; *conciſa ſint*, indicatur tamen eâdem collectio qvoqve ſeu brevis contractio in unam ſummam, quemadmodum *συντόμως εἰπεῖν* de recenſione argumenti ſeu ſummæ rei dici ſolet, ut adeo hîc emergat ſenſus; Septuaginta hebdomades per decretum DEI in brevem ſummam qvaſi redactæ ſunt &c. Imò nec apud Orientales inuſitatum eſt in hoc ſignificatu certitudinis, determinationis

ſeu

ſeu deciſionis vocem חתך uſurpari, demonſtrationem enim certam, firmam & evidentem Judæorum Dialectici communiter vocant מופת חותך, & Chaldæus Paraphraſtes ita eandem vocem uſurpavit, Eſth. IV. ỳ. 5. די על מימר פומיה מתחתכין פתגמי מלכותא: *Quia ſecundum edictum oris ejus deciſa eſſent negotia regni.* Manet itaqve certum & annos uſuales intellexiſſe Angelum, & eorum ſummam accuratiſſimè definitam eſſe, ſignificare voluiſſe. Confer, ſi placet, Corn. à Lap. in h. l. qvi ut Vulgatam verſionem vindicet, aliô adhuc ſenſu, hebdomades abbreviatas dici putat, nempe qvòd paucæ ſeptimanæ definitæ ſint uſqve ad Chriſtum, cùm Deus longè plures potuiſſet ſtatuere, qvâ explicatione tamen non opus eſt, ſi pro eo, qvod dicitur, abbreviatæ ſunt, legas deciſæ ſeu determinatæ ſunt.

THES. IV.

Ratione termini à qvo initium Septuaginta hebdomadum connectendum eſt cum tempore, qvô exiit mandatum de inſtauranda civitate.

§. 1. Poſteaqvàm Angelus Subjectum, ſuper qvo Septimanæ deciſæ ſint, nominaverat,

rat, nempe qvòd populum Judaicum & civitatem Sanctam eædem concernant, dum eô temporis intervallô futura sit à peccato liberatio, justitiæ æternæ adductio, vaticiniorum obsignatio & Sanctissimi unctio, explicat distinctè magis, unde tempus illud computare debeamus, nempe מִן מֹצָא דָבָר לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת יְרוּשָׁלִַם׃ Tremellius vertit: *ab enunciatione verbi de restituendo* (subintelligit domo Dei) *& de ædificandis Jeruschalaimis.* Pagninus: *ab exitu sermonis ad reverti faciendum & ad ædificandum Jerusalaim.* Significanter Lutherus: Von der Zeit an so außgehet der Befehl / daß Jerusalem soll wieder gebauet werden ꝛc. Intelligi autem restitutionem civitatis semel devastatæ, tum è verbis, tum è scopo textûs Prophetici abundè liqvet, Dei enim responsum attulit Angelus ad preces Danielis, qvæ erant seqventes: *Nunc ausculta Deus noster orationi servi tui & deprecationibus ejus, & fac ut luceat facies tua super sanctuarium tuum, qvod desolatum est propter Dominum.*

§. 2. Miramur itaqve Patres qvosdam alibi terminum à qvo hujus celeberrimi intervalli figere ausos esse; De *Origene* qvidem ex Homilia ejusdem XXIX. in Matthæum, constat, eundem Septuaginta hebdomades à

lapsu

lapſu Adami auſpicari maluiſſe, & ſimul qvatuor millia & nongentos annos intellexiſſe, qvemadmodum propriis Origenis verbis e-
* th. I.§.5. juſdem ſententiam jam anteà * explicavimus. De aliis Patribus ſimiliter conſtat, uti Epocham LXX. Hebdomadum cum hujuſmodi annis connectere auſi ſint, in qvos nullum mandatum de reſtauranda civitate exiit, qvæ ſententiæ in ſubſeqventibus confutandæ erunt. Neqve feliciter hanc controverſiam expediunt, qvi per דְּבַר non regium edictum, ſeu verbum mandati, ſed verbum promiſſionis divinitus factæ intelligunt, ita ut initium hujus intervalli connectendum ſit, cum eo tempore, qvô Jehova futuram reſtitutionem templi & civitatis per Prophetam intimavit, uti *Raymundus* p. II. c. III. Pug. Chriſt. Fidei opinatur, cujus opinio è noſtratibus cuidam, τῷ νῦν ἐν ἁγίοις probabilis viſa eſt. Enimverò explicatio hæc & verborum emphaſi & Propheticæ intentioni omninò contraria videtur.

§. 3. Deteſtanda verò imprimis Judæorum perverſitas eſt, qvi ut effugiant argumentorum vim, qvibus Chriſtiani è præſenti vaticinio Meſſiam veniſſe jamdudum, firmiter demonſtrant, aliunde hoc intervallum auſpicari ſolent; Ita enim in סדר עולם רבא

ſeu